DISSERTATIO
DE
CALORE JUVENILI,

Quam

In Illuſtri Academia Salana

PRÆSIDE

PETRO MÜLLERO
U. J. D. & Prof. Publ.

IN AUDITORIO JCTORUM

Ad d. 1. Maji

Publicè ventilandam exponit

PHILIPP JACOB Dernſter
Halâ Saxo.

JENÆ, TYPIS GOLLNERIANIS. ANNO 1680.

15.
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum Deo!

PROOEMIUM.

Egregium eſt illud Ambroſii *de officiis*: Honor adoleſcentum eſt timorem Dei habere: parentibus deferre:) honorem habere ſenioribus: caſtitatem tueri: humilitatem non aſpernari: diligere clementiam & verecundiam, quæ ornamenta ſunt juvenilis ætatis. In ſenibus gravitas, in juvenibus alacritas, in adoleſcentibus verecundia commendatur. Scilicet quælibet ætas peculiare quid habet, quod amet & ſectetur, quodque eam ornet ac commendet; habet quoque quod vitet ac fugiat, quodque ipſam dedeceat ac vituperet. Ariſtoteles *lib. 2. Rhethoricor.* de juventute ita ſentit: Juvenes ſunt moribus cupidi, & ad ea, quæ concupiſcunt, conficienda parati, & ex corporeis voluptatibus, venereis potiſſimùm dediti, earumque impotentes ſunt, inconſtantes, & res, quæ concupiverunt, faſtidiunt. Valde concupiſcunt, ſed protinus conquieſcunt, quia acutas habent voluptates, non longas, ut ægrotantium fames & ſitis. Sunt ad excandeſcentiam proclives, & ad eum impetum ſequendum parati, & iræ obnoxii, quia ob honoris deſiderium

ſe parvi fieri pati non poſſunt, ſed ægrè ferunt, ſi ſibi injuriam arbitrantur. Honoris, imò victoriæ cupidi ſunt: bonis moribus præditi, creduli ſpe bonâ pleni, & facile decipiuntur. Fortiores ſunt, non metuunt, ſed multùm confidunt: verecundi, magnanimi & honeſta facere cupientes. Ut proinde dicendum ſit Adoleſcentiam ſuas habere proprietates tam laudabiles, quàm vitioſas. Has, ceu mores vitioſos, etſi non omnes, in unum quaſi cumulum conjecit D. Baſil. *in cap. 3. Isaiæ* Conſpiciuntur autem *quinque* præcipuæ *proprietates* vitioſæ. *Prima* eſt *levitas* & *inconſtantia*, ut Eccles. *in proverb. 30.* ſapienter dixerit: Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo: viam colubri ſupra petram: viam navis in medio mari: & viam viri in adoleſcentia. *Secunda* eſt *propenſio ad libidinem*. Unde Salomon in proverbiis de juvene verborum blanditiis à meretrice ſeducto ita loquitur *c. 7. verſ. 22.* Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec tranſigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum. Et Plutarch. *d. virt. mor.* ait: Νέοι μὲν καὶ ὀξεῖς, καὶ ἰταμοὶ περί τε τὰς ὀρέξεις διάπυροι, καὶ οἰστρώδεις, αἵματος πλήθει καὶ θερμότητι. id eſt, *adoleſcentum cupiditates, ob copiam & calorem ſanguinis, celeres, feroces, ardentes atque rabidæ ſunt.* *Tertia* proprietas eſt, plus æquo ſectari *voluptates* hujus ſeculi, convivia, ludos & recreationes alias, Unde Cicero *in Vatinium*: Volupta-

te

te & deliciis facilè juventus intercipitur. Eandem notavit Horat. *in arte* poëtica:

Imberbis juvenis tandem cuſtode remotò
Gaudet equis, canibusque & aprici gramine campi,
Cereus in vitium flecti: monitoribus aſper.
Utilium tardus proviſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere pernix.

Quarta eſt, quod ſint *imprudentes.* Nam affectibus potiùs, quàm ratione in actionibus ſuis ducuntur. Si enim verum eſt, experientiam tractu temporis comparari, & ab experientiâ naſci prudentiam: utique erit verisſimum, juvenes ob defectum ætatis & experientiæ prudentes eſſe non poſſe. Et procul dubio ætas condimentum eſt prudentiæ: ac tum quidem mentis oculus florere incipit, cùm floret oculus corporis. Gvazz. *de civili converſat. disſert. 4. part. 1.* *Quinta* eſt & extrema, quod pluribus *tentationibus* ſint obnoxii, quàm ſenes, & alii in aliis ætatum gradibus. Quam quoque aſſerit Auguſtinus *Serm. 248. de Tempore* verbis: Quid ſentiendum eſt de flagrantia juvenilis ætatis, quæ utriusque (juvenilis & ſenilis ætatis) in medio conſtituta, & ab infirmitate pueritiæ jam receſſit, & nondum ad torporem ſenectutis accesſit. Hæc pluribus atque majoribus tentationum tempeſtatibus quatitur. Hæc fluctuum crebriore impetu ſeculi inundantis operitur. Præſumit viribus, formæ dignitate jactatur, pompa rerum temporalium præſulgere, aut exoptat, aut gaudet.

Equidem, juxta Ciceronem *pro Cœlio.* detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior, non omnia voluptatibus denegentur, non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio, vincat aliquando cupiditas voluptasque rationem, dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatioque teneatur: parcat juventus pudicitiæ ſuæ, ne ſpoliet alienam, ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius damnum atque famam, ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis inferat, ne quem interimat, ne interſit inſidiis, ſcelere careat: poſtremo, quam paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætati, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates, revocet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, Reipublicæ, ut ea, quæ ratione antea non perſpexerit ſatietate abjecisſe, experiendo contemſisſe videatur. Vidi quidem *inquit* multos in hac civitate, & audivi non modò, qui primoribus labris deguſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, ut dicitur, digitis attigisſent; ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dedisſent, emerſisſe aliquando, & ad frugem bonam, ut dicitur, ſe recepisſe, gravesque homines atque illuſtres fuisſe. Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpant, ut nullius vitam labefactent, nullius domum evertant, fadeba-

ciles & tolerabiles haberi ſolent. Sed tu mihi videbare, ex communi infamia juventutis, aliquam invidiam Cœlio velle conflare

Juvenilibus ergò cupiditatibus juſto plus indulgendum non eſt, ſunt potiùs refrenandæ & juxta ſapientisſimum Sacratisſimi Imperatoris Juſtiniani *in l.ultima §.5.C.d.bonis quæ liber* effatum: *melius eſt coarctare juveniles calores, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium.* Hinc Marcus Imperator moribundus de nullo magis anxius fuit, quàm ut filii Commodi calor refrenaretur, ne, qui tum primùm inierat juventutem, ſive ætatis fervore nimio, ſive licentia quadam ſumma, quam in orbitate eſſet habiturus, bonis artibus ſtudiisque relictis, ebrietati ſeſe & crapulæ dederet, Herodianus *libr.1.* Et dicto Ciceronis *pro M.Cœlio:* Semper magno ingenio adoleſcentes refrenandi potius à gloria, quàm incitandi ſunt. Amputanda plura ſunt illi ætati, ſiquidem efflorescit ingenii laudibus, quàm inſerenda.

De eo Calore, qui homines in juvenili ætate movet, inſtigat, torquet, impellit, ac prout veniam vel vituperationem meretur, paucis disſerere inpræſentiarum eſt animus, disſertationem certis capitibus comprehenſuri, ita ut Sectione I agatur *De Notatione nominis II. Quatenus calori juvenili in genere in civili converſatione aliquid indulgendum, vel is à Converſantibus refrenandus ſit, III Quatenus C.J à Parentibus vel Conjuge aliquid indulgendum, vel*

is

is ab iis refrenandus. IV. Quatenus C I. à Curatoribus, Propinquis & Præceptoribus aliquid indulgendum, vel is refrenandus V. & Ult. Quatenus C. I. à Magiſtratu aliquid indulgendum, vel is puniendus ſit,

Deus annue cœptis!

SECTIO I

AGIT

DE

NOTATIONE NOMINIS.

SUMMARIA.

Th. *I. Unde vocabulum Caloris deducatur. II. Sumitur phyſicè. III. Juridicè. IV. unde deſcendat vocab. Juvenilis. V. quomodo ſumatur. VI. Terminus à quo & ad quem Juvenis. VII. Quid ſit.*

THES. I.

CAlor deducitur à verbo *caleo*, per ſimplex l. ſcriptum, quod idem eſt atque ferreo ſeu calidus ſum à verbo græco θέρομαι ſonum habens. Inde vocabulum latin. Calor idem ſignificat ac græcum θέρμη Calap. *in Lex. vocab. Calor.* à ſuo deponente abſoluto θέρομαι deſumtum vid. *Lexic. Garthii a caliorum.*

Thes. II. Sumitur Calor non ſolùm *Phyſicè*, ſed & *Juridicè*. Apud Phyſicos denotat *qualitatem patibilem*, & quidem eò, quia calor intendi & remitti poteſt, quapropter Logici eam non ſubſtantiam, ſed accidens, quod à ſenſibus cognitis paſſionem iis infert, appellare voluerunt, Volckmar. *in diction. Philoſoph. voc. Calor.* Porro ſumitur pro *æſtu ſolis*, unde Cicero *ad Q. Fratrem*: maximis caloribus & anni tempore graviſſimo. Item *1. de Oratore*: Nunc & Scævola, quoniam in Tuſculanum ire conſtituit, paululum requieſcet, dum ſe calor frangat. Modò pro *impetu, fervore, præcipitantia, vehementiori cupiditate* Quint. *lib. 2 c. 19.* Juvenili calore Polus inconſideratior. *Virgilius 1. Georg. verſ. 99.* magnaque cum magno veniet tritura calore. Modò pro *igne*, Virg. *1. Æn.* centumque calent aræ. Modò pro *magno ſtudio & conſtantia*, uti Autor libri ad Herenn. in

re

re frigidiſſima cales, in ferventiſſima friges. & Ovid. 1. *Metamorph:*

Lecta manus juvenum caluère cupidine laudis.

Modò pro eo, quod magna vi agitur, atque exercetur, quemadmodum & fervere opus dicitur, quod ſumma contentione celebratur. Inde Tibullus *lib.1.eleg 10.* Sed Veneris nunc bella cient. Cicero utitur etiam hoc verbo de judiciis in ſermone quodam ad Atticum, ubi dicit: Judicia calere.

Thes. III. Calor in ſenſu juridico denotat interdum irati animi impetum, interdum effervescentem motum, interdum inconſultam mentis commotionem. Quod primum attinet, Paulus *in l.3.ff.d.divort.l.& 48.d.R.J.* ait: *Quod calore iracundiæ fit, non priùs ratum habetur, quàm ſi conſtat judicium animi fuiſſe, & uxor per calorem miſſo repudio ſi brevi reverſa eſt, nec divortiſſe videtur*, & *in l.1 §.5. ff. ad Sc. Turpillian. & l. 2. C. d. abolitionibus.* ubi Papinianus & Imperator Conſtantinus temeritatem facilitatis excuſant, ei veniam dant, inconſultum calorem à vitio calumniæ liberant, & ob id delinquenti omnem pœnam condonant, confer *arg l.10. ff. d judic. & l. 15. in pr. ff. d. jur. fiſci.* In *l. 5 C. d injuriis* Imperatores Diocletianus & Maxim. inconſulto calore in rixam prolapſum & homicidii convitium objicientem ex eo die, ubi annus exceſſerit, annuo tempore ab actione injuriarum liberant. Denotat quoque motum *effervescentem* in *l. 4. C. d. autor. præſt.* ubi Imperator vult, ut in cauſis criminalibus minoribus 25. annis adſint tutores vel curatores, ne minorennes ex ſua imperitia vel juvenili calore aliquid vel dicant, vel taceant, quod ſi fuiſſet prolatum, vel non expreſſum, prodeſſe eis poterat, vel à deteriore calculo eos eripere. & in *l. 19. C. d. inofficios. teſtam.* permittitur parentibus ex juſtis cauſis, non inconſulto calore erga liberos ad odium commotis ob turpem & flagitioſam vitæ fœditatem à ſucceſſione excludere. *In l. 22 §. 4. ff. ad L. Jul. d. adulter.* permittitur patri mulierem & omnem adulterum ob paternam pietatem & ſaluberrimum pro liberis conſilium occidere, non verò marito ob calorem & impetum facile ſævienti. Prout ſignificat *inconſultam mentis commotionem*, eſt *l 7 §. fin. ff. ad L Jul. repetund.* quæ quemlibet ob hominem necandum pecuniam accipientem, vel licet is non acce-

B perit,

perit, calore tamen inductum interficientem, licet interfectus vel innocens fuerit, vel non, capite plecti jubet, vel in inſulam deportari. In *l. 9. pr. ff. d. publican. & vectigal.* Paulus locationem vectigalium, quam calor licitantis ultra modum ſolitæ conductionis inflavit, præſtitâ cautione admittit. In *l. 2. C. d. reb. credit.* calore quodam pejerans non pœna criminis Majeſtatis aut corporis, ſed extraordinariè puniri jubetur ibique Gothofr. *in not.* adde *d. l. 4. C. d. autor præſt. l. 15. §. 1. C. d. bon. quæ liber.* Calor vocatur etiam *Fervor*, uti Seneca in Octavia: *Regenda magis eſt fervida adoleſcentia.* appellatur quoque *Ardor*, Idem in Octavia:

Juvenilis ardor impetu primo furit,
Langveſcit idem facile: nec durat diu
In venere turpi, ceu levis flamma vapor.

Thes. IV. Vocabulum *Juvenilis* ceu adjectivum à ſuo ſubſtantivo Juvenis, quod iterum à verbo & quidem ſupino juvando derivatur; & ſignificat hoc adjectivum juvenilis græcè *νεανικὸς* omne id, quod ad juvenem pertinet, inde ætas juvenilis, juvenile robur &c Columell. *l. 4 c 3.* juvenilis ludus vel jocus, Livius *1 ab urb. cond.* Subſtantivum autem à gerundio juvando, & hoc à verbo juvo Philologi deducunt, Calepin. & Fab. *in Lexic. ſub. voc. Juvenis.* Illud quidem eò, quia ea ætas maximè eſt apta ad laborem tolerandum. Hinc Virgil. *5. Æneid.*

Hoc juvenem egregium præſtanti munere donat.

Juvenes ſumuntur porro interdum pro filiis ut Horat. *lib 2. od. 12.* ita Telluris juvenis gigantes terra natos appellat, & Ovid. *lib 5. Triſt eleg. 1.* juvenes tibi conſimilis ſit natus vid. Tacit. *lib. 2. hiſtor. c. 77.* interdum pro militibus ac maximè equitibus, vid. Plutarch. in Cæſar. p. 711. & Lipſius *lib. 2. elect. c. 1. & lib. 1. epiſt. q. 1.*

Thes. V. Sumitur hoc loco adjectivum *juvenilis* æquè latè ac ſubſtantivum Juvenis, ita ut ad ea quæ in jure noſtro ſe extendit juvenis, ad ea quoque poſſit fieri applicatio juvenilis. Et ſicuti Juvenis tam apud Hiſtoricos & Moraliſtas, quàm apud JCtos non tantùm ſumitur in ſexu maſculino, ſed etiam fæminino, uti Plinius *lib. 2.* Cornelia Juvenis eſt & parere adhuc poteſt. Ita vocula Juvenilis tam de maſculino quàm fœminino ſexu prædicari poteſt.

Thes.

Thes. VI. Quoad *terminum à quo* & *ad quem* Juvenis, & per conſequens Juvenilis ætatis inter Hiſtoricos, Philoſophos & JCtos non convenit. Varro Juvenem à 30. anno usque ad 40. annum ætatis appellat. Ita & Hiero νέος Polybio dicitur, qui 30. annos excesſerat, quod etiam obſervat Caſaubonus *pag. 86.* Sic apud Dionem Caſs. Cæſar νέος appellatur, quamvis quadragenario propior erat, *lib. 27. pag. 16.* JCti juvenem intelligunt in duplici ſenſu: Primo ut juvenem appellare incipiant, qui eſt 25. annorum. Secundo, ab anno 14. usque ad annum 25. completum. De priori intellgi poteſt Marcellus *in l. 69. §. 1. in fin. de legat. 3.* ubi adoleſcentes dicuntur, ibi: *Titius codicillis ſuis ita cavit: Publio Mævio omnes juvenes, quos in miniſterio habeo, dari volo. Quæro à qua ætate, & in quam intelligi debeant: Marcellus reſpondit, quos verbis, quæ proponerentur, demonſtrare voluerit teſtator, ad notionem ejus, qui de ea re cogniturus eſſet, pertinere: non enim in cauſa teſtamentorum ad definitionem utique deſcendendum eſt, cum plerumque abuſivè loquantur, nec propriis nominibus ac vocabulis ſemper utantur: cæterum exiſtimari poſſet juvenis is, qui adoleſcentis excesſit ætatem, quoad incipiat, inter ſeniores numerari*: addatur Ulpianus *in l. 8. §. 10. d. tranſaction.* & *in l 26. d. reb. credit.* unde Baldus *in l. 5. ff d jure immunitat* dicit: Umbram Senis eſſe potiorem, quàm doctrinam alicujus juvenis. Prout ſecundo modo accipitur juvenis, vid. Paul *in l 24. pr. d. minorib.* Scœvola *in l. 24. §. 1 ff. d. appellat.* Cajus *in l. 25. §. 1. d. minorib.* Calliſtrat. *in l. 28. §. 3. d. pœnis* ibique Gothofred. *in not ad §. 1* ubi allegat Harmenopulum qui 6. tit. 7. juvenem νεωτερικὸν appellat, quæ vox apud Lexicographos ſignificat juvenilem, inconſiderantem, ſtultum, ratione carentem, eò, quia ea ætas ſtultis affectibus ſæpiùs, quàm vera ratione duci ſolet *l. 27. §. 1. d. minor.* Nos ethicè juvenem dicimus, qui moribus poſtquam ex ephebis excesſit talis eſt, ita ut tam adoleſcentes quàm juvenes ſtrictè dictos, hos ſcil. qui annum 17. excesſerunt, nec dum 47. attigerunt, intelligamus. add. Lexic. Calvin. *voc. Juvenis.* ut viri boni diſcretioni relinquendum ſit, quis morum juvenis ſit, nec ne.

Thes. VII. Hiſce ita præmiſsis, Calor juvenilis in hoc diſcurſu ſemper in ſequiorem partem accipietur, ita ut per eum denotetur inconſultum quid, quod aliàs a ſene vel prudente ſeu homine mentis benè compoſitæ vix fieret, & deſcribi poteſt: Quod ſit

Qualitas, ob quam actiones per ætatem minus prudentes atque à rectitudine & præſcriptione legum & honeſtatis aberrantes in Civili converſatione vel toleranda vel corrigenda ſunt.

SECTIO II.

DE

CALORE JUVENILI

Quatenus

EI IN CIVILI CONVERSATIONE ALIQUID INDULGENDUM, VEL IS A CONVERSANTIBUS TEMPERANDUS EST.

SUMMARIA.

I. Converſatio juveni utilis eſt ac ad perfectionem neceſſaria. II. Ea ſæpius eſt inter inæquales, uti inter Juvenes & Senes. III. Quando juvenes docti converſantur cum indoctis, quomodo ſe habeant. VI. Calori juvenili aſcribendum eſt, quando alios ludibrio ruboris & ignominiæ cauſa afficiunt. V. In jocis calor ne ſit intempeſtivus. VI. Calor juvenilis temperandus eſt in converſatione cum mulieribus.

THES. I.

CONverſationem non ſolùm Juveni utilem, ſed & in genere hominis perfectioni eſſe neceſſariam fatebitur, quem confiteri oportet, ſe *api* eſſe ſimilem, quæ ſola vivere nequeat Gvazz. *d. civ. convers. diſſert. 4. edit Reuſnerian.* Eſt illa, ſi cum bonis intercedit, primariū animi exercitium; quia colloquia moderata, placida, honeſta, utilia ad mores & literas pertinentia cum æqualibus, amicis aut prudentioribus inſtituta, nihil non intactum relinquunt, Dn. Gumpelzaimer. *in Gymnaſm d. exercit. Academicor. ſect. 4.* emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Is præſertim, cui aliquando in media Republica vivendum eſt, adſveſcat oportet à teneris non reformidare homines, neque illa ſolitaria & umbratili palleſcere vita. Mens excitanda eſt, & altius attollenda, & quicquid ad ſcientiam, quam quærimus, prodeſſe poteſt, non negligendum Joh. Parlador. *in epiſtol. ad fil. d. ration. jur. diſcend.*

Thes. II. Eſt autem Converſatio ſæpius inter Inæquales, uti eſt *Juvenum cum ſenibus.* Etſi verò adoleſcentes propter morum diſſimilitudinem ægrè ſenum converſationem expetant (ſic enim

fit

fit ferè ut ſemper aſperi ſint monitoribus, utpote qui juvenili quodam calore incenſi libero cælo cupiunt involare, non includi caveæ) Attamen illis omnino eſt neceſſaria πρὸς τὸ διαμαρτάνειν *Ariſtot. 8. Eth. Nic. c. 1.* Sic enim ipſorum προπέτεια planè Phaëtontea, & incontinentia Icaria retundetur aliquantisper & deprimetur Thomas Sagittar *d.l. diſſert 2. th. 01* Malè agunt juvenes qui ſenum ſe converſationi ſubtrahunt, eo enim ipſo ſua ipſorum vulnera occultant, & ulceroſa reddunt: Cum ſenibus autem converſantes, & ea revelant, & ad ſanitatem redigunt. Præſtat verò & ea in juventute potius detegere, quàm in ſenectute: nam ſecundùm Poëtam,

Juvenilis error dedecus gignit minus.

Hin Chilon quondam dixiſſe legitur teſte Laertio *lib. 1. c. 4 honorem à junioribus habendum ſenectuti: ut ipſi facti ſenes, ab aliis habeantur in pretio.* Quæ res, inquit Gvazz. *d. civil. convers. diſs. 4.* geminam habebat utilitatem. Siquidem, ut ſenum autoritas atque reverentia temperabat ætatem laſcivam à peccando; ita ſenes cavebant, ne quid committerent, quo juvenibus vel ob ineptiam ludibrio poſſent eſſe, vel ob turpitudinem pernicioſi: ſed inter omnes juvenes & ſenes ea eſſet reverentia, quæ inter parentes & liberos. Senes autem caveant, ne propter imperitiam vel imprudentiam aut alia accidentia, quæ ex juvenili calore quandoque proveniunt juvenes contemnant. Imò horum officium eſt, juvenes nonnihil æſtimare, & cum his prudenter converſari, tolerareque potiùs errores juveniles, eosque qua poſsit decentiâ corrigere. Neque ſemper convenit ſenibus gravitatem ſuam inter juvenes perpetuò tueri tam in verbis, quàm in geſtibus: illud ſecum perpendentes, intemperantiam ſenum juvenes licentioſos & diſsolutos reddere: Gvazz. *d.l.* Benè Thomas Sagittarius *differt. 2. d civil convers. th. 17. 18. 19. Senes,* inquit, *ſint humani tum in monendo tum in docendo. In monendo abſit omnis acerbitas & contumelia procul ſemoveatur. Sunt monendi adoleſcentes, & non ſecus ac orbes inferiores à primo illo mobili gubernantur quaſi & circumducuntur; ſic & juvenilis ille fervor ſenum prudentia temperandus & mitigandus & tamen ſicut ſupremum illud cœlum inferiores omnes orbes ſecum ducere dicitur, ut proprium eorum motum non abrumpat aut ſiſtat; ſic & hic ille fervor non ſtatim arreptâ ſecuri excindendus & extirpandus. Id enim*

nec fieri poteſt facilè; nec ſi fiat, multum profuturum. Non ſtatim hæc ætas ſuam ad maturitatem pervenit; ſed habet nonnihil aſperitatis & amaroris, quod cum tempore exui tandem facilè poteſt & elui; & ſenum conſilio, modò ἐπιδεξιότης quædam adhibeatur, condulcari, non ſecus ac uvæ nondum maturæ tandem à ſole percoquuntur & dulceſcunt. Aquam vino admiſcemus, & ſobrias Nymphas temulento illi Bacho adjungimus, non ut plane naturam exuant ſuam & deponant: ſed ut moderatiora evadant. Idem & hîc fiat. Paulatim & ſenſim fervor ille temperetur, nec omnia ſtatim κατ' ἀκρίβειαν & ſtrictum jus examinetur; ſed ſufficiat, ſi tanquam in herbis non fallacibus fructus quispiam appareat. Aſperi pulli in optimos evadunt equos. Breviter: Ætas ad alia ſapit rectius. Et, Nonnunquam quod diffidentiâ ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur. c. ancillam 32. q. 2. c. illud 30. q. 3.

Thes. III. Ad inæquales referimus Juvenes *doctos* converſantes *cum indoctis*. Iſti hos ne deſpectui habeant, caveant. Calorem arrogantiæ, qui plerumque ejusmodi ingenia ſequi ſolet, ſale modeſtiæ temperent. Non autem eſt, quòd docti ſuâ doctrinâ adeo intumeſcant: Cogitent potius, aquilam viribus, pavonem plumis, philomenam cantu ipſis ſuperiores eſſe; maximamq; injuriam aliis facturam fuiſſe Naturam, ſi uni ſoli omnes elargita fuiſſet dotes Gvazz. *de civil converſat. diſſert. 4.* Sanè nihil poteſt vel eſſe ſtolidius, vel ineptius, quàm ſi apud quosvis ἐπιπολάζειν velis, teque in univerſum omnibus præferre, & tuam ubique exſpuere ſapientiam: & neſcio quas ſubtilitates in ſcenam proferre, ubi nihil opus, nec ſunt qui intelligunt. Th. Sagittarius *d. l. th 27.* Neque hîc diſſimulandum eſt ſæpius Juvenes (quod vitium quandoque cum ſenibus commune habent) ex intempeſtivo calore ſolere diſputationes ſeu rixas formare de religione, præſertim inter pocula qui mos planè eſt improbandus. Ita Wolff. *ad lib. 1. Offic. Cicer. Mala*, ait, *noſtram nationem invaſit conſuetudo, religionis controverſias graviſſimas, cum neque mens, neque pes (ut ait Comicus) officium facit, inter pocula diſceptandi. Quo quid abſurdius, ne dicam magis impium, cogitari poteſt.* Calor iſte in diſputando juvenilis plus affectuum quàm veritatis habet atque incautis diſputatoribus odium & promotionum obſtacula ſecum ferre ſolet. Benè Seneca: *Ego infinitis concertationum & vociferationum iracundiarum plenis diſputationibus*

nibus

nibus applaudere non ſoleo. Nam & Philoſophiæ gravitate ac ſanctimonia indigna ſunt, & cum iracundia pertinaciaque utiliter atque rectè haud eſt ut poſſit diſputatio procedere.

Thes. IV. Calori juvenili non immerito aſcribendum isque tamen per amicam converſantium ſive ſint æquales ſive inæquales dehortationem corrigendus eſt, quando alios ludibrio ruboris & ignominiæ cauſa afficiunt. Multi ſunt, qui alios aut obæſos, aut loripedes, aut gibboſos, vel lingua vel ridicula ſui corporis conformatione imitantur, qui alterum, qui vel deformis, vel diſtortus, vel inconſpicuus, vel puſillus eſt, derident, vel de alterius parum appoſitè dictis cum riſu & exultatione ſibi gratulantur: aſt libenter alios rubore ſuffundunt. Quibus non valdè disſimiles ſunt irriſores iſti, quibus volupe eſt, quoslibet alios exagitare & deridere, non tam ignominiæ & contemptus, quàm propriæ voluptatis gratia. Quæ conſuetudines cùm ſint admodum moleſtæ, merito ſuo ſunt exoſæ Joh. Caſa *in Galateo ſive libello de morum elegantia* ibique D. Præſes *in notis*, ubi addit: Periculoſum eſt aliis illudere, ſæpe verbum verbo retunditur.

Th. V. Jn *Jocis* ne calor ſit intempeſtivus caveat Juvenis. Equidem jocis propter recreationem quâ Juventus delectatur, ſunt inventi:

Eſt laus maxima riſum
Per varios moviſſe ſales. Claudian.

Inque negotii pertractandis utile eſt dulcedinem gravitate temperare, & ludibria ſeriis, modò tempeſtiva illa ſint, nec præter decorum, aut materiæ ſubjectæ gravitatem Saavedra *ſymb. pol. 42.* Eſt tamen ratio perſonarum habenda. Sic abſtinentum eſt ab aſperis facetiis, quæ ubi multum ex vero traxêre acrem ſui memoriam relinqvunt, Tacit. *lib. 5. annal.* Magiſtratus cum ſubditis, Præceptores cum diſcipulis, Parentes cum liberis, adultis præſertim, Dominus cum ſervis non debent nimis jocari. Cum paribus autem, ut juvenis cum juvene, ſenex cum ſene, doctus cum docto liberè jocatur, ſed modeſtè. Cautè agendum cùm quis cum Superiore jocari velit, iſtius memor Mit groſſen Herrn iſt nicht gut Kirſchen eſſen. Memorabile eſt, quod refert Cromerus *lib. 6.* de Petro Damo, Comite Scrimenſi, Udadislao Polonorum Regi admodum familiari. Qui

cum

cùm totum diem cum ſuo Principe venationi operam dediſſet, & utrique ſub veſperam defatigati in tuguriolum quoddam divertiſſent, & humi ſtratis penulis cubituri eſſent: dum Uladislaus: *Mollius*, inquit, *nunc Petre uxor tua cum Abbate Scrimienſi cubat, quam nos. Petrus contra, ut jocum joco retunderet: fortaſſe, inquit, & tua cum Dobeſſo. Erat autem Dobeſſus Juvenis ex equeſtri ordine non inelegans, quo familiarius Chriſtina Uladislai uxor utebatur, ita ut muſſitaretur vulgo, eum cum illâ clam conveniſſe. Tetigit id dictum Principis animum, & domum reverſus uxori blandienti rem detexit. Chriſtina vindictæ cupida eum è filiæ nuptiis abreptum carceri incluſit, oculos effodit, & linguam præcidit. Sic & liberior cum Principe jocus malè ceſſit.* Bernegg. *d. Aula Principis verſ. Urbanus & hilaris.*

Thes. VII. Quoniam *Amor* juvenum nimis calidus eſſe ſolet, ut propterea calori comparetur, uti Senec. ait *in Octav.*

Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor eſt: juventa gignitur, luxu, otio
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fovere, aut alere deſiſtat: cadit
Brevique vires perdit extinctus ſuas.

temperandus is eſt in converſatione *cum mulieribus*. Quarum converſatio utilis ſit, an verò periculoſa & damnoſa. de eo themate vide egregriè diſſerentem Gvazz. *de civili converſatione part.7.* Sunt enim Sirenes,

Quæ dant
Blanditias molles, auresque juvantia verba.

Et maleblandarum mulierum *verba* linguæ in melle ſunt ſitæ, ſed corda in felle ac aceto: quæ amaſiis ſuis quidem benè cupiunt, ſolam verò pietatem & prudentiam iis deeſſe exoptant.

Hi Juvenum ſcopuli, Syrtes, Scyllæ atque Charybdes,
Eſt in iis pietas crocodili, aſtutia hienæ.
Cum flat & appellat te blandius, inſidiatur.
Fœmineos, Paſtor, fugito (ſunt retia) vultus.
Fidito non animis, virtuti aut viribus ullis.

Schulz. *d. blanda mulier. Rhetoric. th 83* Refrenandus ergò eſt ille amoris fervor atque æſtus, abſtinendumque à frequenti mulierum conſortio, quod commodè fieri dicunt, ſi ponatur ob oculos triſtis amoris laſcivi exitus: Opum ſcil. Honorum, Nobilitatis, Famæ

imò

imò vitæ jactura. Sic *Leander* Abrodenus per inſanos fluctus Bosphori Thraciiad Ero puellam, quæ in Seſto habitabat, natare auſus, cum ſæpius furta ſua repeteret, tandem fluctuum impetu obrutus periit. De eo Virgil. *3. Georg.*

Quid Juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor? Nempe abruptis turbata procellis
Cæca nocte natat herus freta: quem ſuper ingens
Porta tonat cœli, & ſcopulis illiſa reclamant
Æquora, nec miſeri poſſunt revocare parentes,
Nec moritura ſuper crudeli funere virgo.

Ut taceamus alia incommoda & pericula captivitatis, everſæ religionis, defectionis, proditionis, ignaviæ, deſidiæ, morbi, verberum, paupertatis, exilii, divortii, inimicitiæ aliaque ſexcenta. Hæc de converſatione in genere; Sequitur converſatio certarum perſonarum, quæ vel ex amicitia aliquid imbecillitati indulgent, vel jus quoddam corrigendi per ſe habent.

SECTIO III.

DE CALORE JUVENILI Quatenus EI A PARENTIBUS VEL CONJUGE ALIQUID INDULGENDUM, VEL IS REFRENANDUS EST.

SUMMARIA.

Th. I. Parentibus naturaliter conceditur imperium in liberos. II. Graviter peccant parentes, qui liberorum mores non corrigunt. III. Calor Juvenilis à parentibus cum ratione temperandus eſt. IV. Verbis potiùs quàm verberibus. Conceſſus eſt privatus carcer. Filii immorigeri detruduntur in Ergaſteria in die Zuchthäuſer. *V. Corrigenda eſt converſatio cum hominibus vita ſuſpectæ. VI. In contrahendis matrimoniis Parentum conſenſus adhibendus, cùm plerumque amantes amoris æſtu matrimonia appetere ſibique nocere ſoleant. VII Parentes Spirituales jus quoque corrigendi habent. VIII. Conjugis eſt calori juvenili aliquid indulgere. Quænam incommoda ſint rigidæ reprehenſionis. IX.*

 Uxor

Uxor calidos mariti mores toleret. X. Si uxor ex innata ſexûs imbecillitate vel juvenili quodam calore ſuperbiæ vel ludis choreisve juſto plus indulgeat, num maritus vehementiori uti queat remedio?

THES. I.

PArentibus naturaliter conceditur aliquod imperium in liberos. Quod inter alia in *caſtigatione* poſitum eſt. Cum enim pater cum imperio ſit, filii verò ut juvenes plerumque juſſis paternis reluctentur, non aliter aç appetitus ſenſitivus rectæ rationi, ſequitur profectò aliquam patri in filium concedendam eſſe coactionem, qua vi quadam ad ea, quæ ſpontè facere nolit, ipſum adigere queat. Menſura autem ejusmodi coactionis rurſus ipſe eſt pater, ut ſcilicet quam vim ſibi ſuoque appetitui infert & dolore adhibito cogit, ut imperio rationis obtemperet, eam quoque filiis inferre poſſit. Revera enim pater ratio eſt, filius appetitus. Qvum verò ratio nihil præſcribat, aut imperet, niſi in ipſius appetitus ſalutem, licet illi interdum contra videatur; ita quoque omnis coërcitio patris unicè in filiorum ſalutem eſt dirigenda, adeo ut quæ ipſis profit, à parentibus licitè ſuſcipi queat, quæcunque noceat, omnis illicita & patre indigna. Quapropter adhortationes, admonitiones, increpationes, objurgationes, virgas, fuſtes etiam, inediam & alia id genus coercendi genera parentibus gentium conſenſus permittit: nec mores noſtri negant. D. Eichel. *in libr. de jure, quo naturaliter liberi & parentes ſibi invicem ſunt obſtricti th. 33.*

Th. II. Graviter peccant Parentes, qui amore excœcati liberis ſuis nimio plus indulgentes eorum mores vel planè non vel frigidè ſatis corrigunt, nec calorem juvenilem refrenant. Rectè Joh. Chryſoſtomus referente Maximo *loc. comm. ſerm. 139. & ſermon. 200.* ait: *Qui negligunt filiorum correctionem & educationem, ut ſint honeſti & temperantes, ſunt filiorum homicidæ; imò gravius in illos peccant, quàm ſi illos interficerent, quanto mors & perditio animæ eſt gravior. Nam quemadmodum ſimia catulos ſuo complexu necat, ita nonnulli parentes immodico erga liberos affectu & indulgentia illos corrumpunt.* Faber. *ſemeſtr. lib. 3 c. 16.* Et memorabilem ac tragicum exemplum neglectæ diſciplinæ domeſticæ refert S. Auguſt. vel quisquis

Autor

Autor eſt *ſermon 33. ad Fratres in Eremo* his verbis: *Accidit hodie terribilis caſus præclariſſimo civi noſtro Hipponenſi Cyrillo. Ecce enim, ut ſcitis, potens erat inter nos opere & ſermone, & fere dilectus ab omnibus, filium habebat, & eum unicum poſſidebat, & quia unicus erat, eum ſuperfluè diligebat & ſupra Deum. Ideo ſuperfluo amore inebriatus, filium corrigere negligebat, dans ei poteſtatem faciendi omnia, quæ placita eſſent. O doloroſa libertas. O! grandis filiorum perditio, quando pater eos corrigere neglexit, quando virgæ pepercit, quando eis ſemper ſerenam frontem monſtravit. Cupitis audire quomodo pater & filius in foveam cadant? Ecce enim hodie ad ebrietatem proceſſius filius, matrem prægnantem oppreſſit, ſororem violare voluit, patrem occidere, & duas ſorores ad mortem violavit.*

Th. III. Non ſolùm infantilis, ſed & juvenilis ætas moderanda ac ſub habenis habenda eſt, calorque liberorum temperandus, aſt cum ratione: Rectè Comicus *in Adelph. act. 1. ſcen. 1.* ait:

Et errat longè meâ quidem ſententiâ
Qui imperium credit gravius eſſe aut ſtabilius
Vi quod fit, quàm illud quod amicitiâ adjungitur.
Mea ſic eſt ratio, & ſic animum induco meum:
Malo coactus qui ſuum officium facit,
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet.
Si ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.
Ille, quem beneficio adjungas, ex animo facit;
Studet par referre: præſens abſensque idem erit.
Hoc patrum eſt, potius conſveſacere filium
Suâ ſponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc Pater ac Dominus intereſt. Hoc qui nequit,
Fateatur neſcire imperare liberis.

Benè ad hanc rem facit Dominic. Soto *d. Juſt. & Jur. libr. 5 qu. 2. art. 2 Mutilare,* inquit, *parentibus non licet, nec vulnerare, neque mortalium ulli, præter publicam poteſtatem, ſed ſaltem fuſte cædere aut ferula. Id enim eſt illis jure naturæ conceſſum. Homo namque tribus viis ad virtutem inſtituitur: nam & ratione ducitur, & metu cogitur & allicitur præmio. Antequam ergo rationis ſidus eluceat, natura providit, ut puer & metu cogatur & afficiatur munuſculis. Quapropter Inſtitutio paterna, quæ prima omnium eſt, his duobus utitur. Ubi vero jam ſuo*

ruitur lumine, lege tunc incipit & ratione vivere, atque adeo ſub publica poteſtate. At vero Parentum verberatio non usque adeo atrox eſſe permittitur, uti habetur multis LL. C. d. patr. poteſt. & D. Lederer *d. jure belli privat. c. 4. num. 5.* opinatur: Patrem modum in caſtigatione crudeliter excedentem injuſti invaſoris perſonam induere.

Th. IV. Eſt igitur calor juvenilis temperandus verbis potius quàm verberibus. Cui verbali caſtigationi tale temperamentum addendum vulgò ſvadent, ne verba declinent in ignominioſa. Quia & verba injurioſa quamvis à patre prolata, etiam filio infamiam irrogare queunt, Angelus *in l. quid ergo §. quant. autem, num. 2. ff. d. his qui not. infam.* Verbis nihil proficientibus ſolent patres filiorum delictis virgam prius adhibere, quàm baculum; & ſi correctio moderata non ſuffecerit, ſeveriora poſtmodum flagella conſumere; ita tamen ſubinde temperata, ne quicquam, quod paternum affectum nonnunquam dedeceat, ſociatum habeant atque conjunctum. Attendentes non injuria dœmoniacum dici, cùm naturalis affectio à natura recepta ac implantata tam frivole conculcatur, inquit Faber *ſemeſtr. lib. 3 c. 16.* Prohibitum quoque non eſt Patri in certo quodam conclavi, citra privati carceris pœnam, clauſum habere filium, ſi modò id non ad cuſtodiam, ſed ad morũ ipſius emendationem faciat Schneidevv. *ad §. 2. Inſt. d. patr. poteſt.* Cyn. *in l. unic. d. privat. carcer.* Si tamen delictũ gravius eſt, judici puniendus traditur, vide notabile præjudicium Facultatis Juridicæ Lipſienſis anno 1642. in facto cujusdam Nobilis filii immorigeri apud Philipp. *in uſ. practic. Inſtitut. Imperial. lib. 1. eclog. 55. n. 17.* Intruduntur quoque filii immorigeri ac domi coerceri atque ad officium redigi neſcii in Ergaſteria ſeu loca, Magiſtratûs autoritate exſtructa, ut homines à vitâ inhoneſta ad honeſtam laboribus compellantur, vulgo Zuchthäuſſer ſ. domus diſciplinariæ, Beſold. *in theſaur. pract. verb.* Zucht-Haus.

Th. V. Omnia iſta peccata, quæ non tam ex robuſta animi malitia, quàm ex juvenili quadam imprudentia & calore quodam veniunt, ad emendationem & correctionem parentum pertinent. Quibus annumeranda eſt converſatio cum hominibus ſuſpectæ vitæ, quæ facilè juvenum animos illaqueare ac corrumpere poteſt, id quod ne fiat ſedulam domeſticam curam gerat, monito Theologi

logi Mattheſii *homil. 17. in c. 42. Syrac.* ibi: Zum andern befleiſſe Er ſich/ daß Er daheime eine feine Haußzucht halte und erhalte/ ſehe und mercke auf/wer aus und eingehe / was er für Leute im Hauſe habe. Höre ihnen zu und behorche ſie/ wenn ſie etwas heimliches mit einander reden/ſchicke der Tochter nach & *homil. 6. in c. 7. verſ.* bewahre ihren Leib. Das iſt/ laſſe ſie nicht alleine oder aushin ſpatz-ſchmaiſen gehen/wie Jungfrau Dina that. &c. Laſſe ſie nicht ſpäte zum Tantze oder Salve gehen / auch nicht alleine mit den Biergäſten ſitzen. Solet calor juvenilis datâ ad laſciviam occaſione erumpere, præſertim ſi ebrietas interveniat, juxta illud: Nox & Amor Vinumque nihil moderabile ſvadent. Wenn Feuer und Stroh zuſammen kommen/ſo zünden ſie ſich leicht an.

Th. VI. Et quoniam Juvenes ex inconſulto calore ſæpius *amare* ſoleat, præſertim cum in genere dicatur

Omnis amans amens & amor dementia vera.

et perſonæ matrimonia efflagitantes, amore nimio corripiantur, nō decet liberos absque conſenſu Parentum rem tam arduam lubrico quaſi conſilio aggredi, ſed Parentum conſenſum in nuptiis liberorum debent adhibere. Si enim votum Deo factum absque conſenſu patris invalidum eſt, quanto magis promiſſio homini facta patre præterito valere non poterit *Numer. 30. v. 67.* Hinc ſi ex calore amoris juvenis in ſignum contractarum nuptiarum det annulum, absque præſcitu & conſenſu Parentum, actus iſte erit nullus, & ſponſalia pro clandeſtinis habebuntur, etiamſi cum ſubarrhatione concurrerint & adfuerint mille teſtes *c. non omnis 32. q. 2.* D. Richter *deciſ. 8. n. 50. 51.* D. Præſes *d. annulo pronubo th. 15.* Habent ſæpè Parentes cauſas diſſentiendi in Sponſalia, quæ moliuntur liberi; inter quas etiam refertur, ſi liberi amore temerario quaſi excœcati, aut furore potiùs dementati cum iis matrimonium inire cupiant, cum quibus neque cœlum neque terram ædificaturi eſſent, quemadmodum loquitur Joh. Wigandus *in libell. d. conjugio* Haveman *tractat. d. jure connubior. in appendic. conſil 32. th. 4.*

Th. VII. In numerum Parentum referendi ſunt *Patrini,* ſeu *Parentes Spirituales,* uti in jure Canonico vocantur, die Paten/ qui in adminiſtratione baptiſmi promittunt, ſe infantis ſalutem vitamque moratam temporalem curaturos; ut proinde ipſis com-

petere quodammodo jus corrigendi liberos è baptiſmate ſuſceptos dicendum ſit. Præſertim cum ſuſcepti patrinis reverentiam præſtare debeant eosque absq; veniâ in jus vocare nequeant Special. *notab. jurid. verb.* Gevatterſchafft Speckhan *cent. 1. quæſt. 52.*

Th. VIII. *Conjugis* quoque eſt calori juvenili aliquid concedere, eumve pro re natâ temperare. Maritus cum propria uxore ſvaviſſimè vivat, unde Salomon *proverb. 5. verſ. 18. 19. & 20.* Freuë dich des Weibes deiner Jugend/ laß dich ihre Liebe allezeit ſättigen/ und ergetze dich allewege in ihrer Liebe/ warum wilt du dich an frembden ergetzen/ und hertzeſt dich mit einer andern/ & ſi Senex duxerit juvenculam, non adeo rigidus erit cenſor morum uxorculæ. Si enim ad leviſſima uxoris delicta ſtatim fulmina & cuneos maritus crepabit, amburetur ſplendor nivei amoris, quatietur columen familiæ, & diſſipabitur flamma mutuæ concordiæ, quibus familiæ vinculis diſruptis, quid ſperandum niſi friguſcula, contentiones & proximus interitus totius Oeconomiæ & ſcandala haud levia Arnis. *d. jure Connub. c. 8. ſect. 4.* D. Præſes *in diſſert. d. friguſculo cap. 3.* Præterea vertitur ſic facilè amor conjugalis in odium exitiale, ita ut plerumque mortem viri uxores appetant. Sunt enim vindictæ aliàs mulieres valdè appetentes, neque hâc quisque magis quàm fœmina gaudet Juven. *ſatyr. 13.* Unde ad venena & homicidia & deſertiones maritorum ſæpè venire uxores teſtis eſt experientia vid. Aaron Olizarov. *d. polit. homin. ſociet. l. 1. c. 8.* & Tiraquell. *LL. Connub. 8. n. 17. & ſeqq.* Maritus ergo cohabitet ſecundùm prudentiam mit Vernunfft/ quod præcipit Apoſtolus *1. Petr. 3. v. 7.* rationem ex fragilitate mulierum adjiciens, quæ veniam ubique & conniventiam meretur.

Th. IX. Uxor viciſſim ſibi temperet, ne ex calore quid adverſus maritum committat, injuriam vel verbum injurioſum proferendo. Si maritus in actionibus ſuis calidus eſt, calorem iſtum morum lenitate uxor temperet; Vociferatur ille, hæc tacebit; reſponſum enim prudentum fœminarum eſt ſilentium, nec priùs loquatur aut voluntatem ſuam declaret, quàm ubi quieto ille animo fuerit atque tranquillo. Si obſtinatum eum animadverterit, ipſa cedet: memor illius, quod ut pulverem tormentarium lac extinguit,

guit, ita ſilentium fœminæ iracundiam viri ſedet. Gvazz. *d. civil. converſ. diſſert. 5* D. Præſes *diſſert. d. frigiculo. cap. 5. th 3.*

Th. X. Quid, *ſi uxor ex innata ſexûs imbecillitate vel juvenili quodam calore ſuperbiæ, vel ludis choreiſve juſto plus indulgeat, num maritus vehementiori uti queat remedio?* Equidem mulieribus permiſſus eſt ornatus, ut formam ſuam concinniorem efficiant, Valer. Maxim. *lib 2. cap. 1.* ſunt enim admodum inſulſæ atque invenuſtæ ſine mundicia & ſumtu Pluat. *in pœn. act. 1. 5. c. 2.* & mulieres juvenili calore tumentes ad ludos & choreas non aliter ruere, quàm apes, & formicas ad cibum, ut ſpectentur ſimul & ſuſpiciant, teſtatur Ovidius *lib. 1 d arte amandi.*

Ut redit, itque frequens longum formica per agmen
Granifero ſolitum dum vehit ore cibum.
Aut, ut apes ſaltusque ſuos, & olentia nacta
Paſcua per flores, & thyma ſumma volant:
Sic ruit in celebres cultiſſima fœmina ludos.
Copia judicium ſæpe morata meum eſt.
Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ
Ille locus caſti damna pudoris habet.

Sed vitioſum ubique quod nimium eſt. Illæ oculos Chriſtianorum graviter, cenſente Hieron. *epiſt 8.* ſcandalizant potius, quæ purpuriſſo & quibusdam fucis, ora oculosque depingunt, lavandoque & fricando nunquam ſaturantur. Condonandum quidem ipſis aliquid eſt, nec ſtatim ſeveriùs tractandæ, ſed corrigendæ blanditiis mollibusque verbis, atque maritali ſermone ut verbis utamur ICti in *l. ult. ff. ſi quis aliquem teſtar. prohib.* Aſt iſtâ viâ ſi nihil obtineri poteſt, maritusque inde ignominiam, damnum reique familiaris jacturam pati neceſſe habeat, reprehenſio tanquam genus medicamenti quoddam ex amaris illis, quæ corpus non ſine averſione & horrore quodam curant atque expurgant, uti loquitur Ludovicus Vives *d. offic. marit. p. 144.* ſequatur, quæ tamen non niſi ſumma neceſſitate urgente eſt adhibenda, exemplo callidorum in re medica Chirurgorum, qui ad ſecandum aut urendum non deſcendunt, niſi impulſi extremâ neceſſitate, aliis omnibus remediis tentatis priùs & necquicquam conſumtis: Neque id faciunt, niſi exploratis antea à ſe inſtrumentis, pectore, facultate,

quæ

quæ omnia niſi adſint præſentia ne ſignificant quidem' morbum id poſtulare Lud. Vives *d. l. p. 141.* Hoc ſanè caſu juxta effatum Ovvenii *lib. 1. epigramm. 117.*

Conjugis ingentes animos lingvamque domare
Herculis eſt decimus tertius iſte labor.

SECTIO IV.
DE
CALORE JUVENILI
Quatenus
EI A CURATORIBUS, PROPINQUIS ET PRÆCEPTORIBUS ALIQUID INDULGENDUM, VEL IS REFRENANDUS EST.

SUMMARIA.

I. Curatori corrigere verbis juvenes licet. Qu. Num conſenſus Curatoris in contrahendis ſponſalibus minoris neceſſarius ſit? II. Sub nomine Propinquorum veniunt præter Parentes, Patrui, Avunculi Fratres, Sorores, Affines, Vitricus. III. Præceptoribus leges permittunt modicam caſtigationem. Singulari præceptorum circa temperandos animos prudentiâ & diſciplina opus eſt.

Thes. I.

QUamvis Curator adminiſtrator ſit rerum quæ ſunt minoris, Tutor verò perſonæ & moribus præſideat *§. 1. Inſt. d tutel. §. 4 Inſt. qui teſtam. tutor. dar. poſſunt.* Nihilo tamen minus rectè eos facere arbitramur, ſi pro ſalute minorum curam gerant, eorum vitia monitis corrigant, præcipiantque ne propter actiones ex inconſulto calore provenientes damnum ſentiant vix reparabile. Diximus: monitis poſſe corrigere. Curatori enim ut proprie tali non competit puberem curandum, ut vocant, realiter caſtigare. Q. *Num Conſenſus Curatoris in contrahendis ſponſalibus minoris neceſſarius ſit, vel potiùs valida ſint ſponſalia publica illo invito inita? Negatur* prius, & *Affirmatur* poſterius per *l. 20. ff. d rit. nupt.* ubi ita Paulus: *Sciendum eſt ad officium Curatoris non pertinere nubat pupilla, an non? quia officium ejus in admini-*

miniſtratione negotiorum conſtat: Et ita Severus & Antonius reſcripſerunt in verba: Ad officium curatoris adminiſtratio pupillæ pertinet: nubere autem pupilla ſuo arbitrio poteſt. add. *l. 8 C. d nupt.* Alberic. Gentilis *d. nupt. lib. 4. c. 14.* Arnis. *d. connub. c. 3. ſect. 11. n. 2.* Ubi tamen DD. notant, quòd licet præcisè & neceſſariò conſenſus Curatorum non requiratur, nec pro clandeſtinis habeantur ſponſalia irrequiſito eorum conſenſu, Nihilominus tamen ipſorũ conſenſum exquirere, pietas pariter & honeſtas exigat, D. Joh. Gerhard in *loc. d. conjugio §. 90.* Paul. Cypræ *d. ſponſal. cap. 6. §. 9.* rationes vide apud Carpzov. *Juriſpr. Conſiſtorial. lib. 2. tit. 3 def. 47.* ubi refert. Conſiſtorium Supremum Dresdenſe reſcripſiſſe verbis: Ihr wollet Bekl. neben ihrem Vormunde und Brüdern vor Euch beſcheiden/ derſelben/ daß ſie dem vierdten Gebot zuwieder mit zweyen ohne ihres Vormunden und Brüder Rath und Vorwiſſen in Ehe-Sachen ſich eingelaſſen / Verweiſung thun / darnebenſt ihrem Vormunden und Brüdern aufferlegen / daß ſie künfftig ihre Tochter und Schweſter beſſer in acht nehmen ſollen/ auch andern zum Abſcheu 10. Thaler Straffe zu milden Sachen anzuwenden / von ihr einbringen / und uns ſolche förderlichſt anhero ins Ober-Conſiſtorium überſenden V. R. W.

Thes. II. *Propinquos* quod atrinet, eo nomine quidem aliàs veniunt etiam Parentes, hoc verò loco ab iis ſunt ſegregati veniuntque ſaltem *Patrui, Avunculi, Fratres, Sorores, Affines, Vitricus.* Hæ perſonæ quemadmodum ob jus ſanguinis, quo vel ipſæ vel per alias perſonas ſibi invicem junctæ ſunt, eo magis alter alterius imbecillitatem, & ſi quid peccatum fuerit ex inconſulto calore, toleret, vel id emendet; *Patruum* enim appellatum putant â patre, quod ſit Patris loco: Imò in legibus Patruus planè pater & ipſius nepotes Patris Filii vocantur *l. antep. §. Lucius Titius ff. mandati.* Inter *fratres & ſorores* vera ſit concordia. Si quid alter peccet placidè ipſum corripat; Vera enim eſt fraternitas, quæ fratrem veneratur devotum, corripit diſſolutum, quæ præſenti obſequitur, abſentem non rodit, ſano applaudit, infirmũ non deſerit, placatum non provocat, iratum ut majorem metuit Rab. *ſuper Matth. cap. ult.* Experientia quidem teſtatur fratrum gratiam eſſe raram, & calo-

rem inter conjunctiſſimas perſonas quandoque eſſe vehementiorem, quàm erga alios aut extraneos

Nec longè fatorum exempla petantur:

Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Lucan. *libr.* 1. *bell. civil.* Aſt ſi tale quid accidat, detur opera utrinque, ut quamprimum ſeponatur, & ſepeliatur. Nam mel, ut ajunt, in amariſſimam bilem convertitur: Itidem fratrum amor, quò major, in tantò majus odium, niſi occurras. Thom. Sagittar. *diſſert. polit. d. converſ. pol.* 1. *th.* 192. Nec *Vitrico* denegatur emendatio, cùm Parentis loco habeatur *§. 6. & 7 Inſt. d. nupt.* & jura paternum etiam affectum de eodem prædicent *l* 15. *C. d. negot. geſt.* Cujac. *obſerv. lib.* 9. *c.* 18. Equidem ſunt, qui plerunque malam in ipſo erga privignos præſumunt affectionem, ut proinde educationem privignorum vitrico, tanquam ſuſpecto *l.* 1. *ubi pupil. educ. deb.* non permittendam eſſe ex Alexandri conſtitutione *l.* 1. *C. eod.* ſtatuant. Verum iſtis ſepoſitis Vitrici, uti & Novercæ interdum erga liberos benè ſunt affecti optimaq; ſuggerunt educationis conſilia, & cum ratione privignis præſunt; Quomodo Eutychianus vitricus privignas ſuas paterno affectu aluiſſe dicitur in *d l.* 15. *C. d. negot. geſt.* & P. Ebutius pupillus ſub tutela Duronicæ matris & vitrici T. Sempronii Rutili educatus legitur apud Livium *hiſtor. ab U. C. libr.* 39. *v.* 9.

Th. III. *Præceptores* actionibus juvenilibus aliquid quidem indulgeant, ſed ne quid nimis, calorem potius juvenum refrenent; Leges enim mediocrem caſtigationem permittunt præceptoribus, de quo vid. *l.* 5. *ff. ad L. Aquil.* Sed ſingulari præceptorum circa temperandos animos prudentiâ & diſciplinâ opus eſt D. Præſes *d. Præſidis Domûs Illuſtris cap.* 2. *poſit.* 3. Ingenia liberalia humanitate & gloriæ ſtimulis accenduntur, plagis & verberibus corrumpuntur & indureſcunt. Præprimis quoad inſtitutionem Principum juvenum, in quibus Spiritus caleſcit, modus obſervandus eſt, quem graviter deſcribit Joh. Werner in Fürſtl. Diſchreden *c.* 13. Gumpelzaimer. *de exercit. Academicor. part.* 1. *ſect.* 6. ubi hoc præceptoribus inculcatum vult, daß ſie nicht wie Schnarcher und Polderer ihre Herren als Sclaven / denen alle zuläßige Freude benommen/halten ſollen/damit ſie nicht/ wenn ſie ihren Præceptorn oder Hoffmeiſter anſehen/ zittern/ als wie die Ubelthäter/ ſo den

Hen-

Hencker ſehen / denn durch ſolche Mittel werden nicht liberalia, ſondern ſervilia ingenia verurſacht. Dicendum eſt cum Seneca: Principis aut Nobilis Inſtitutor eruditione ſana & morum jucunditate præcellens, noſcat objurgare citra contumeliam, & laudare, citra adulationem, quem ille ſimul & revereatur ob vitæ ſeveritatem, & amet, ob morum jucunditatem.

SECTIO V. & ULTIMA DE CALORE JUVENILI Quatenus EI A MAGISTRATU ALIQUID INDULGENDUM, VEL IS PUNIENDUS EST.

SUMMARIA.

I. Ætas minorum captionibus ſuppoſita eſt. II. Olim erant Cenſores, qui in civium mores & vitam inquirebant. III. Magiſtr. diſſvadeat matrimonia adoleſcentum, vel ſi cupiditates vincere nequeant, ea permittat. IV. Seni diſſvadeatur matrim. cum juvencula; Si nolit, ne in pejora ruat, concedat. V. Num ſi juvencula fuerit nupta ſeni ad debitum conjugale præſtandum impotenti, iſta verò ſeſe continere nequeat, matrimonium ſit reſcindendum? VI. Si una pars ſit impotens, nec altera continere ſe poſſit, num reſcindendum matrim.? VIII. Actus à minore ex calore intempeſtivo celebrati rati non habentur. VIII. Quare SC. Macedonianum introductum? IX. Num Calor Juvenilis mitiget pœnam in delictis? X. Num in furto? XI. Num in injuriis? XII. Num in Duellis & Homicidio? XIII. Num in Blaſphemia? XIV. Num in delictis Carnis? XV. Num in Ambitu? XVI. Num in Sortilegio? XVII. Num delictis innominatis & aliis?

Thes. I.

Magiſtratus juriſdictionem exercens rationem ubique habeat ætatis juvenilis, cùm minorennes recti & prudentis conſilii non ſint participes *l. 1. ff d. minor.* eorumque conſilium fragile ſit, & multis captionibus ſuppoſitum *l. 1. in pr. ff. d. minor.* Unde eſt, quod propter imbecillitatatem judicii caloremque juvenilẽ agens aliquid excuſationem mereatur *arg. l. quamvis 11. C. d. fact. & jur. ignor.* atque in damnis ſubveniri ſoleat *l. 4.*

C. d. procurat. Imò circa infligendas pœnas inprimis in arbitrariis rationem ætatis habere convenit. Quousque autem hæc aſſertio ſe extendat, hoc ipſo capite videndum eſt.

Thes. II. Olim in Republica Romana erant Cenſores, qui in civium mores eorumque vitam inquirebant, dehortabanturque incautos â ſcopulis, ita ut luxus non ſolùm cibi ac veſtitus ab iis fuerit obſervatus, ſed tota etiam civium vita, quò intra honeſtatis repagula contineretur. Quid hodie? Meritò cum I. Lipſio *libr. 4. pol. c. 11.* exclamamus: *Heu ævi dedecus! rem moribus & vitæ utiliſſimam adeo oblivione obſoletam videmus, ut non modò non colatur, ſed etiam ignoretur cenſura.* Eligendus eſſet unus alterve Præfectus moribus, magiſter veteris diſciplinæ, ut metus aliquis præter leges eſſet & ſcirent omnes: *Si quid in moribus labaret, non defuturum corrigendi autorem* Tacit. *lib. 2. annal.* Dn. Dilherr. *diſſert. d. Cenſoribus th. 45.*

Thes. III. Nihilo tamen minus Magiſtratûs officium eſſe exiſtimamus in mores juvenum, qui ſunt ſpes patriæ, inquirere, eosque frugi vitæ admonere, præſertim ubi magni momenti vertitur negotium, in quo ſemel tantùm peccare licet, ubi perditio fortunarum ſcandalumve tandem finis eſt. Proinde cum matrimonii cauſa ſit una ex graviſſimis, in qua vita ſalusque juvenum conſiſtit, hique ſæpius caleſcant plus ſatis, vel ſi ſexagenarius cum juvencula contracturus ſit matrimonium, Magiſtratus dehortetur ipſos disſuadeatque ejusmodi conjugia. Nam quoad prius ait Carpzov. *lib. 2. Juriſprud. Conſiſtorial def. 12.* rectius faciunt, qui doctrinam Philoſophorum (cùm Ariſtoteles *lib. 7. politic. cap. 16.* moneat: Mares eſſe conjungendos cum fœminis paulo ante trigeſimum ſeptimum annum, puellas verò circa ætatem 18. annorum nuptui eſſe tradendas, quòd utriusque ſexus vires tum maximè corroborentur) ſequuntur ad matrimonium non convolantes, priusquam evaſerint in viros h. e. in tales, qui virtute (â qua nomen viri derivatur, vel potius virtutis â viro Cicer. *2. Tuſcul. quæſt.*) pollent, quantumvis ſufficiat, mulierem ratione ætatis talem reverâ eſſe, h. e. mulierem, cujus nomen non comprehendit, niſi virginem viri potentem *l. 13. ff. d. V. S.* Quid, ſi juvenes cupiditates ſuas reprimere & concupiſcentiam frenare nequeant? Satius eſt ut Magiſtratus iſti calori aliquid concedat,

per-

permittatque matrimonium, ne majora inde eveniant mala, uti reſpondit Conſiſtorium Supremum Dresdenſe: Iſt euer Vetter Martin Weingerber/ nachdem Er das Schneiderhandwerck gelernet/ mit Chriſtian Herbers Tochter Anne Marien daſelbſten in Kuntſchafft gerathen/ hat auch dieſelbe lieb gewonnen/ und zu ehelichen begehret/ inmaſſen denn die Jungfrau gleiches fals Beliebung zu Ihm trägt/ auch beyderſeits Eltern darzu geneigt/ worzu aber die Obrigkeit des Orts nicht einſtimmig ſeyn/ noch dieſe Verehligung/ weil gedachter Martin Weingerber noch eben jung iſt/ zugeben wil. Ob Er nun wol kaum das ſiebenzehende Jahr ſeines Alters erfüllet/ die Jungfrau aber bereit über 18. Jahr alt/ und Er an ſeinem Ort zu Heyrathen nicht veraltet/ derwegen noch wol eine zeitlang warten könte/ welches ihme auch villeicht zuträglicher und nützlicher were. Demnach aber beyde Perſonen einander mit Liebe zugethan/ und nach erlangetem Conſens ihrer Eltern/ die Ehe zu vollziehen gäntzlich entſchloſſen/ Worzu denn Weingerber auch ſeines theils gnugſame Jahr erreichet/ alſo daß ihme/ wenn er ſeiner Gelegenheit nach auſſer der Ehe ohne Verletzung ſeines Gewiſſens nicht länger verbleiben mag/ dieſes Ehe-Werck nicht zuwieder rathen; So wird die Vollziehung der Ehe billig verſtattet/ und mag diesfals von der Obrigkeit nicht verwehret werden. V. R. W.

Th. IV. Magiſtratus inprimis Eccleſiaſticus Juvenculam æquè ac ſenem dehortetur à contrahendo invicem matrimonio, quoniam, ut alias taceamus rationes, libidinis remedium in ejusmodi conjugio nullum quæritur, poſtquam incendium libidinis in ſenibus & vetulis non amplius fervet, ac ſi vel maximè concupiſcentiæ ſtimulos ſentiant, illi tamen in conjugio cum juvenculis non tam extingvuntur, quàm accenduntur Henning. Arniſæ. *d. connub. c. 2. ſect. 3.* Calor iſte juvencularum in flagitia, ac ſcandala prorumpere ſolet

Ein harte Nuß und ſtumpfer Zahn/
Ein junges Weib und alter Mann/
Zuſammen ſich nicht reimen wol/
Sein's gleichen ieder nehmen ſoll.

Kizel *Synops. matrim. cap. 3. theoren. 2. lit.* 1. Havemann. *in Gam-*

 leg.

log. ſynoptic. cib. 2. tit. 3. poſit. 5. Capularibus iſtis ſenibus deſipientibus commendat preces Horatii:

Non ſum, qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ: deſine dulcium
Mater ſæva cupidinum.
Circa luſtra decem flectere mollibus
Jam durum imperiis

Aſt ne in fornicationem & alia majora ſenes prolabantur, mala laqueus is injiciendus haud eſt; ita D. Gerh. *de conjug. §. 233.* ait: Qui in virili & declinante ſenecta conſtituti ſunt, illis nuptiarũ adyta non ſunt occludenda, ſed decrepitorum ac capularum ſiliceniorum nuptiæ non ſunt admodum probandæ. De incommodis, quæ ſenũ conjugia pariunt vid. Tiraquell. *d. LL. connubial. gloſſ. part. 6. n. 7.* Interim cum aliqua moderatione capulares ſenes admittendos ducenſent Saniores, & quantum fieri licet, Caſcus Caſcam ducat, h. e. maritus ſenex uxorem ſenem vel ſaltem ætate non multùm diſparem. Quid, ſi Magiſtratus ſui quæ ſunt officii fecit, dehortando ſcilicet ſenem, ne cum juvencula matrimonium contrahat, neque deſiſtere velint contrahentes? Magiſtratus concedat aliquid amori, cùm nullibi talia expreſſè improbari legantur matrimonia, exempla potiùs extent, veluti Abrahami, qui anno ætatis 140. Ceturam elegantem puellam duxit, atque ex eâ aliquot ſuſcepit liberos. *Geneſ. 25.* Catonis Cenſorii, qui 80. agens annum filiam Saloris, clientis ſui adoleſcentulam duxit, & ex eâ alterum Catonem procreavit Harprecht *ad pr. Inſt. d. nupt. num. 28.* & Ciceronis, qui ſexagenarius Publiam virginem matrimonio ſibi copulavit, Plutarch. *in Ciceron.* Ita Conſiſtorium ſupremum Dresdenſe in tali caſu dehortatione uſum fuiſſe matrimoniumque permiſiſſe apud Carpz. *d. l def. 13.* legitur: Wiewol auch nun rathſamer wäre/ bey euren angezogenen Sächzigjährigen Alter und Leibesbeſchwerung anderweit Vereheligung einzuſtellen / und bey guter Wartung des Gebets und Gottesdienſts in dieſen betrübten Zeiten deſto fleißiger zu pflegen/ oder da ihr mit unverletzten Gewiſſen auſſer dem Eheſtand nicht leben köntet/ eine ſolche Perſon/ die euch am Stande und Alter nicht gar ungleich / zu erwehlen ꝛc. Woſern ihr aber dennoch dieſes alles unerwogen / eure gefaſte intention zu

ändern

ändern nicht gemeinet; So ſeyd ihr aus Zulaſſung Geiſtlichen und Landüblichen Rechtens/weil dißfals kein widriges Geſetz vorhanden / oberwehnte eure Dienerin zu ehelichen nicht alleine befugt/ ſondern auch / da zwiſchen euch albereit eine verbindliche Zuſage geſchehen/ſolches zu thun ſchuldig V. R. W.

Th. V. *Q. Num ſi juvencula nupta fuerit ſeni ad debitum conjugale præſtandum impotenti, iſta verò ſeſe continere nequeat, matrimonium ſit reſcindendum?* Reſpond. Si ſenex non omnimodo ſit impotens, ſed actus venereos licet difficulter exercere poſſit, non eſt reſcindendum matrimonium; Si verò planè impotens ſit, ut matrimonium inter eos propriè dictum non ſit *gloſſ. ad l. 27. C. d. nupt. c. 2. x, d. frigid.* Magiſtratus eccleſiaſticus, ad cujus jurisdictionem hæc cognitio pertinet, indulget ad inſtantiam partis validæ ſeparationem, vid. Dedekenn. *vol 3. l. 4. ſect. 6. n. 10. p. m. 310.* ubi habetur reſponſum Conſiſtorii Wittebergenſis ſuper quæſtione: Ob einem Weibe/welche einen alten Mann genommen/der wegen ſeines hohen Alters und eingefallenen Kranckheit zum ehelichen Werck untüchtig / ſich anderweit zu verehelichen geſtattet wird?

Th. VI. Quamvis eo caſu, ubi matrimonium contrahitur inter eos, quarum una pars impotens eſt vel naturâ vel caſu, altera quantum poſſit ſeſe contineat, preces ad Deum fundat atque alterius imbecillitatem æquo perferat animo, quemadmodum Melanchton *lib. d. conjug. ſum. d. natur. ſpadon.* Simonis Grynei ſocerum narraſſe dicit, ſe mortuâ primâ uxore duxiſſe virginem, quæ undecim annos nupta fuerat viro frigido, nec unquam ulli ante mortem illius hoc patefecerat; & memorabile exemplum ex Petro Bembo *libr. ſingul.* refert Salmuth *in reſponſo pro matrim. Princip. cum virg. nobil.* de Eliſabetha Gonzagâ Mantuanâ, Urbini Duciſſâ vid. D. Præſes *in præſidiis domus illuſtris cap. 3. poſit. 10.* Sæpius tamen vincit calor patientiam, præſertim ſi alter conjugum juvenis ſit, ut abſque metu peccati non poſſit ſine matrimonio vivere, præſertim, uti habetur *in c. 2. requiſiſti 33. qv. 1.* ubi mulier, (calore fortè incenſa juvenili) dicit: *volo eſſe mater, & filios procreare.* Ut tunc cauſæ cognitione deſuper habita cauſisque debilitatis benè perſpectis diſſolutio à judice eccleſiaſtico concedenda ſit, quæ

ſen-

eſt ſententia Conſiſtorii Wittebergenſ. apud Dedekenn. *vol.3. lib. 4. ſect. 6. num 8. p. m 350.* ibi: Als ihr Uns berichtet / welcher geſtalt ein junger Geſelle N. N. bey Euch eine Jungfrau zur Ehe genommen/ und wie derſelbe ihr in die 16. Wochen ehelichen beygewohnet/ daß er ſich beklaget/ daß ſie zu ehlichen Wercken untüchtig / derowegen gebeten/ euch des Rechtens darüber zu berichten: Demnach unterrichten wir ꝛc. vor Recht. Habt Ihr erſtlichen durch vier ehrliche alte Gottsfürchtige und erfahrne redliche Matronen / ſo oft und vielmal in Kindes-Nöthen gebraucht und ihres Raths gepflogen/ neben der geſchwornen Kindfrauen / noch 4. andere der älteſten Frauen Mitbürgerinnen und 2. Kindfrauen/ des N. N. Vertrauteten zu beſüchtigen geordnet/ ſie auch die rechte unverfälſchte Warheit auszuſagen beeydiget / und haben obgemeldete 8. Matronen neben 3. Kindfrauen bey ihren gethanen Eyd / nach gehabter Beſüchtigung berichtet und ausgeſaget / daß dieſelbe Perſon alſo beſchaffen/ daß ihrem vertraueten Mann unmüglich mit Ihr Eheliche Wercke zu treiben und zu vollbringen/ daß auch umb ſie alſo bewandt/ daß ihr durch menſchliche Hülffe und Mittel nicht könne noch möge geholffen werden/ aus Urſachen / ſo in euren Bericht ferner angezeiget worden/ und es iſt dieſelbe Perſon geſtändig/ daß ihr Vertrauter Eheliche Werck wegen ihres Leibes des Orts Gebrechligkeit und Ungeſchickligkeit nicht treiben können / ſo würde auch N. N. auf ſein Anſuchen von derſelbigen ihme vertraueten Perſon/ der Ehe halben billich loßgezehlet/ und da er ſich ohne Gefahr ſeines Gewiſſens auſſer dem Eheſtande nicht enthalten könte/ Ihme ſich mit einer andern zu verehlichen geſtattet und nachgelaſſen/ aber derſelbigen Weibesperſon/ als die zu ehelichen Wercken untüchtig erkant und bekand wird / ſich mit einem andern in Eheſtand zu begeben nicht vergönnet oder nachgelaſſen.

Th. VII. Magiſtratus non parum quoq; indulget calori juvenili, dū actus à minoribus celebratos, ſi in judicio controverſia ſit, non omnimodo ratos eſſe jubet, ſed probatâ læſione concedit reſtitutionem in integrum; quam favor & imbecillitas ætatis cauſat, ſive contrahens cum minore in dolo ſit, ſive non Weſenb. *in pr. & fin. C. d. in integr. reſtit.* nec minus reſtituitur minor, etiamſi autho-

authoritas tutoris vel curatoris intervenerit, Idem *n. fin. Inſt. d. aut. tut.* & licet donatio inter vivos regulariter revocari nequeat *§. 2. Inſt. d. donat.* Minor tamen, qui ex inconſulto magis calore, quàm deliberatò ſumtus donando facit, contra donationem reſtituitur, etiam conſentiente patre vel curatore factam *t. t. C. ſi adverſ. donat.* ibique Brunnem. imò ſi in juvenili ætate donaſſet, poſtmodum verò ducta in matrimonium uxore liberisque procreatis, poteſt ea quæ ab ipſo donata ſunt revocare, *l. ſi unquam C. d. revocandis donation.* qualem quidem revocationem juvenis cum aliis donatoribus, qui propter ſupervenientiam liberorũ donationem revocare valent, communem habet, iſte tamen eò per ætatem proclivior ad donandum eſſe ſolet,

Utilium tardus proviſor, prodigus æris.

Sunt enim juvenes ἀφιλοχρήματοι, id eſt *pecuniam atq; divitias minimè appetunt*, Dilherr. *diſſert. d. morib ætat. th. 29.* id quod in filio ſuo reprehendit Terentianus ſenex *Heaut. act. 5. ſc. 2.*

Ubi te vidi animo omiſſo, & ſuavia, in præſentia quæ eſſent,
Prima habere, neque conſulere in longitudinem; cepi rationem,
Ut neque tu egeres, neque ut hoc poſſes perdere.

Quando autem ad annos diſcretionis, quos vocant, pervenerunt, facti eos pænitet, ſerâ tamen in fundo exiſtente parſimoniâ. Illam verò revocationem, quam jura donantibus concedunt, adeo favorabilem eſſe, ut etiam heredibus donatoribus competat, tradunt Ant. Fab. *in Cod. lib. 8. tit. 36. def. 14. num. 3.* Beatus *in ſentent. part. 2. d. teſtam. tit. d. donationib. 5. cap. 29.* & ita reſpondit Facultas juridica Helmſtadienſis anno 1603. Diedrich von Eldingen / Nobili Lunæburgico. Hat einer von Adel / als Er ein junger Geſell / ohngefähr von 18. Jahren / und unbevormundet geweſen / 1000. Goldgülden und 1000. Tahlr ſo ihme im Teſtament legiret / dem Debitori, ſeinem Vetter hinterlaſſen; und als hernach ermeldter von Adel zu ſeinen Jahren kommen / und in den Eheſtand getreten / vier noch lebende Kinder erzeuget: So iſt derſelbe ſolche Verlaſſung und Donation zu hinterziehen befugt / und der Debitor das legatum auszureichen und zu bezahlen ſchuldig. V. R. W.

Th. VIII. In reliquis quoque juris articulis Magiſtratus indulget actibus per lubricum ætatis, imbecillitatem, temeritatem

aut calorem peractis, verb. gr. *ætate minorenni & læſione probatâ*, reſtitutionem in integrum concedit, h. e. minorem in eum ſtatum ponit, in quo fuit ante, quàm illud negotium fuerit inchoatum, ut ſi inconſultò tranſegerit *t. 1. C. ſi adverſ. tranſact.* ſi confeſſus fuerit *l. 6. §. 5. ff. d. confeſſis*. Si ſolverit, *tit. C. ſi adverſ. ſolut.* Si lucrum omiſerit *tit. C. ſi ut omiſſ.* Si oblatam hæreditatem temerè repudiaverit *tit. C. ſi ut omiſſ. hæredit.* Et ſi Vaſallus minor calore quodam extiterit delator ſui domini, feudum non amittit Schneidevvin. *epit. feudal. p. 8. n. 75.* cum aliàs Vaſallus, qui accuſavit dominum, illud amittat Idem *num. 73.* In cauſa criminali ſi confiteatur minor delictum, quod aliter non probatur, reſtituendus eſt in integrum absque alia erroris probatione Oldenkop. *obſ. crim. t. 4. obſ. 46.*

Th. IX. Nec ſilentio prætereundum eſt, Magiſtratus Romanos æquè ac Modernos efficaciam actionis ex *mutuo*, *filiofamilias dato*, competentis denegaſſe, & adhuc denegare. Decrevit enim ampliſſimꝰ Ordo fœneratores filiisfamilias mutuo nedent pecuniã ſub pœna denegatæ repetitionis *l. 2. 3. C. d. SC. Macedonian.* Dn. de Jena *d. SC. Maced. ſect. 1. aphor. 12.* Et quamvis diverſæ leges contra fœneratores adoleſcentum fuerint latæ, uti Lex Lætoria, teſte Cicero *3. officior.* Claudii Tacit. *11. Annal. 13.* tandem tamen cùm Macedo, *inſtar Fufidii Horatiani 1. Sat. 2. quantò perditior quisque juvenum erat, tantò acrius urgebat, & nomina ſectaretur*, & filiifamilias propter continuam ſolutionis flagitationem inſtinctu Macedonis, iterum occaſionem arriperent parentibus ſuis inſidiandi, vel minimùm mortem eorum votis ſaltem captandi, aut ut Juvenalis *Sat. 35.* loquitur, *funus patrum promittendi*, quò hoc malum funditus è Republ. tolleretur, juvenilis calor in prodigendo coarctaretur & nequitia improborum fæneratorum puniretur, *Veſpanianus* Imperator, uti Svetonius *in ejus vita c. 11.* ait, auctor Senatui fuit decernendi, ne filiorumfamilias fæneratoribus exigendi Crediti jus unquam eſſet, h. e. ne poſt patrum quidem mortem; & hoc decretum dicitur Senatus conſultum Macedonianum de quo *t. t. in ff. & C.* vid. elegans diſſertatio inaugural. Tubingæ habita à Dn. Hieronym. Brücknero, *d. SC. Macedoniano*, cujus SC. finis non alius fuit, quàm ſi ultimum ſpectes, Salus & utilitas publica Enenk. *d. privil. par. & liberor. c. 2. n. 12.* ne ſcilicet materia peccandi malis moribus

præ-

præſtetur *l.1.pr. ff.eod.* & luxus, pariturus mox egeſtatem, coerceatur Dn. à Jena *D. SC. Macedonian. ſect. 1, aphor. 9.* Si finem *proximum* eumq; vel *primarium* conſideres eſt conſervatio autoritatis & poteſtatis patriæ, & averſio inſidiarum à capitibus Parentum *d.l.1. pr.ff. eod.* vel *ſecundarium* attendas, eſt commodũ ipſorummet filiorumfamilias, *ut juveniles eorum calores coarctarentur, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum expectat patrimonium l. 8. §. 5. C. d. bon. quæ lib. l. 1. pr. d. SC. Maced.* cui accedit odium fœneratorum, quorum malitia per SCtum coercenda fuit *l.1.pr. l. 9. §. 4. in fin. h. t. §. pen. Inſt. quod cum eo qui in alien. poteſt.* Voluerunt itaque Legumlatores reipublicæ, ne obærati eam labefactent, & præter experientiam teſtatur Mæcenas apud Dionem, *Benè*, inquit, *educatus inſtitutusque non facilè conſilium convellendi ſtatus publici inibit, Quinimo id à diſciplinâ nulla formatis, à libidinoſis & flagitioſis timendum eſt.* Exemplo ſunt Sybaritarum & Agrigentinorum liberi in luxu & delitiis molliſſimè educati, filii Eli, Catilinæ pluresque juvenes ipſi adjuncti.

Thes.X. Dicendum jam eſt de *delictis*, quatenus in iis juvenilis calor excuſat necne, vel quatenus pœnas mitigat nec ne. Ubi in genere quæritur: *Num delictum ex calore juvenili commiſſum mitius ſit puniendum?* Sunt, qui juvenes mitius puniendos eſſe exiſtimant, quoniam adoleſcentia eſt quaſi ſuapte natura proprium & peculiare vitiorum irritamentum, ac huic ætati nondum plenum eſt judicium firmumque agendi conſilium, & ſpes eſt eos emendatiores futuros vitiaque cum adoleſcentia depoſituros Tiraquell. *tract. d. pæn. temper. aut remitt. cauſ. 2 n. 2.* Verùm obſtant leges, quæ expreſsè contrarium volunt, uti eſt *l. 9. § 2. ff. d. minor.* ibi: *Et placet in delictis minoribus non ſubveniri* add. *l. 37. ff. d. minorib.* ibi: *In delictis autem minor 25. annis non meretur in integrum reſtitutionem, utique atrocioribus: niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pænam judicem produxerit.* & *l. 1. C. ſi advers. delictum. In criminibus quidem ætatis ſuffragio minores non juvantur, etenim malorum mores infirmitas animi non excuſat.* Carpzov. *p 3. pract. crimin. qu 143.* Attententenda tamen eſt in *d. l. 37.* particula *interdum*, quæ probat *regulariter* minoribus ſeu juvenibus pænam non eſſe remittendam, D. Brunneman *ad l. 1. C. ſi advers. delictum n. 10.* putat, regulam

pro minoribus ponendam eſſe, niſi pæna jure divino certa poſita ſit, ut in homicidio & adulterio, aut crimen ſit enormius. Videbimus ergo delicta potiora, & num circumſtantiæ ob inconſultum calorem mitigare pænam poſſint, nec ne.

Thes. X. Quoad *Furtum* quæritur, *Num mitiganda ſit pœna ob minorennitatem?* Et Regulariter dicendum videtur, quod non; Si tamen ejusmodi concurrant circumſtantiæ, quæ non tam malitiam quàm fragile ætatis judicium involvunt, pœna erit mitiganda àc in extraordinariam convertenda; eſt etiam juris expeditiſſimi, quòd in pœnis infligendis delicti cauſa potius debeat ſpectari, quàm factum delinquentis *l. 33. ff. d. injur. l. 83. in pr. ff. d. furt.* Sæpè enim juvenis per alios ſeducitur, commeſſationibus, aleâ & luxuria incitatus, ut tale quid ex imprudentiâ magis, quàm dolo committat. Imò ætas minorum quoad pœnam hujus delicti ordinariam, quæ eſt laqueus, in tantum mitigari volunt nonnulli DD. ut, modò reſtitutio ablatorū fuerit facta, nec loci, nec reiterationis habeatur ratio, prout reſponderunt Dnn. Scabini Hallenſes menſe Mart. anno 1679. ad conſultationem Ampliſs. Senatus Hallenſis in cauſâ H. G. K. adoleſcentis 17. annorum, verbis: Hat Inquiſit nunmehro geſtanden und bekant / daß Er auff Hochfürſtl. Reſidentz zu H. zu unterſchiedenen mahlen vor ſich in eine Cammer geſtiegen / und daraus unterſchiedene Betten und Jnleffte / ingleichen Garn und ſilberne Spitzen geſtohlen: So wird Er dieſes ſeines Verbrechens halber in anſehen mann zu dem Werth der nach ermangelnden Betten füglich nicht gelangen kan / und die Sachen meiſtens reſtituiret / diejenigen auch / ſo die Betten gekauffet / ſich anderweitig zu erholen / oder Jhm allenfals zu ſchencken erkläret / wenn Er zuvor eine halbe Stunde lang andern zum Abſcheu am öffentlichen Pranger geſtanden / mit Staupenſchlägen des Landes ewig verwieſen. Cujus reſponſi rationes decidendi fuerunt datæ eod. menſ. ejusdem anni verb: Ob wol derjenige / ſo über 5. Soliden oder 5. Ducaten des beſten Ungariſchen Goldes Diebiſcher Weiſe entwendet / den ſtrengen Rechten nach mit dem Strange von Leben zum Tode zu bringen / nichts minder der Ort des begangenen Delicti die pœnam zu exaggeriren pfleget / und die reiteratio einen zum verleumbden Diebe machet; Jedennoch aber

und dieweil die restitution der geſtohlenen Betten meiſtentheils erfolget/und die Kauffer des ihme entſtandenen Werths an des inhafftirten K. Antheil des väterlichen Hauſes ſich zu erholen/ und ihre Zahlung davon zu nehmen ſich erkläret/auch alles fals Ih„me es gantz erlaſſen ꝛc. zugeſchweigen/ daß auch das furtum de „jure divino nicht capital,in welchem Fall bewehrter Rechtslehrer „Meinung nach die Minores mit der ordentlichen Straffe nicht zu „belegen / Als hat man Rechtswegen zu einer höhern Straffe als Staupenſchlägen nicht kommen/auch darumb weder auf die qualitatem und locum delicti geſtalten Sachen nach/noch uf die reiteration ſehen/und die Straffe vergröſſern können / bevoraus da ieder zeit der gelindeſte Weg in criminalibus zu ergreiffen iſt ꝛc. Eſt autem circa ablationem rei alienæ animus inſpiciendus & intentio, ut nempe fiat contrectatio lucri faciendi cauſa; quippe cauſa finalis facit diſcrimina actionum, quæ in delictis maximè ſunt attendendæ *l. 41. in fin. ff. ad L. Aquil.* Unde ſi Studioſus amico, vel commilitoni ſuo, ut interdum fieri ſolet, librum vel quamcunque aliam rem vexationis vel laſciviæ cauſa, & ſic per calorem juvenilem contrectet, & auferat, furtum non committit; quia hîc non factum ſed cauſa faciendi quærenda *l. 39. ff. d. furt.* Schneidevv. *ad §. interdum quoque Inſtit. d. oblig. qu. ex delict. naſc.*

Th. XI. In delicto *Injuriæ* juvenis ex eo, quod iratus in rixa & inconſulto calore alteri injuriam intulerit, non liberatur ab actione injuriarum, niſi temporis præſcriptio acceſſerit *l. 5. C. d. injuriis* Carpzov. *pract. crimin. part. 1. qu. 6. n. 9. part. 3. qu. 147. n. 53.* licet ira iſta quodammodo juſta, & injurians ab injuriato per præcedentem injuriam ad iram & ſecutam injuriam provocatus fuerit; ut ſi verbis injurioſis laceſſitus & ad calorem iracundiæ commotus injurianti colaphum incuderet, aut eundem aliis verbis injurioſis proſcinderet Carpzov. *prax. crimin. part. 2. q. 97. n. 39. & ſeqq.* Mitius tamen cum illo agitur, qui adverſarii injuriâ primùm ad indignationem fuit incitatus, & ſeſe ulciſci voluit provocatus, huic enim quodammodo ignoſcendum eſſe creditur *arg. l. 14. §. 6. ff. d. bon. libert.* præſertim in juvenibus qui naturâ ſunt ἐξώθυμοι excandeſcentes. Ita à Marone introducitur Gyas *lib. 5. Æneid.*

 Tum

Tum verò exarſit juveni calor oſſibus ingens;
Nec lacrymis caruêre genæ: ſegnemque Menaten
Oblitus decorisque ſui, ſociûmque ſalutis
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.

Cùm ſit docente Philoſopho *ira fervor ſangvinis circa cor;* & ſangvis maximè in adoleſcentibus ferveat, facilè excandeſcunt, ut ad verba contumelioſa ſint proclives. Dilherr. *c. l. th. 26. Q. Si quis nominatus ab altero Etcætera vel* Hundsf. *calore excitatus alteri alapam infligat, num poſſit actione injuriarum conveniri?* Reſp. Quoniam vocula &c. eique ſimilis germanica Hundsf. in ſe non videatur injurioſa; cùm quod ultimam attinet, tales dicti ſunt, qui Marchioni cuidam canes venaticos paſcere conſveviſſe perhibentur, ſie haben Jhm die Hunde gefüttert/ hinc die Hundefütterer/ quod nomen poſtmodum inſulſa plebs, ut ſolet, in aliam ſignificationem detorſit, D. Stryke *differt. d. & cætera cap. 5 n. 56.* alii exiſtimant Hunnos olim pro viliſſimis hominibus fuiſſe habitos, & cùm victi fuerint in amnem projecti, reliquis terræ mandatis, dixerunt per contemtum: *Hunnus fuit,* in dubio interpretatio in meliorem partem erit facienda; Niſi quis tales circumſtantias afferre poſſit, ex quibus proferentis animus injuriandi quodammodo appareat, ut ejusmodi verbis provocato ſeque aliquâ vindicanti ſit ignoſcendum Bajard. *in addit. ad Clar. §. injuria. n. 64.* Q. *Num Juveni, cui virgo denegat choream cui q́; is propterea ex calore iracundiæ infligit alapam, ſit ignoſcendum?* vid. D. Stryke *diſſ. d. alapa cap. 3. n. 16.* Ubi *n. 15.* reſpondet ad quæſtionem: *An ille, qui alteri ideo quod ſibi ſaltanti præſiluerit* (daß Er ihm im Tantze vorgeſprungen) *alapam inflixit, excuſari poſſit?* Quam affirmat, ſi alter ex propoſito id fecerit, neque admonitus intermiſerit. Idemque ſentit de illo, *qui alteri alapam impegit, quòd virginem, quacum choream ducebat, manibus ſibi exemerit,* quemadmodum ſimile fermè exemplum defendit Scotus Placent. *tom. 2. l. 3. conſ. 15.* quem allegat Camill. Borellus *conſil. 24. num. 15.*

Th. XII. Juvenes honoris atque exiſtimationis ſuæ defenſores eſſe ſe exiſtimant, ſi *Duellis* injuriam illatam ſatagant vindicare, illud occinentes dicterium: auf eine Maulſchelle gehöret ein Dolch/ de qua conſvetudine digladiandi apud Gallos querela eſt

Iſaaci

Iſaaci Caſauboni *in animadverſ. in Athenæi lib. 4. c. 13. p. 281. Rixa*, ait, *inter Nobiles ex levibus ſæpe offenſis cientur, offenſam condonare & ignoſcere, quod ſapientes magnanimitatis proprium putarunt, turpe & ignominioſum habetur. Unicum hodie Nobilitatis ſincernæ ſpecimen eſt, ſuum jus armis perſequi. In hoc cardine vertitur ſumma illorum exiſtimatio, & is quem falsò honorem vocitant. Qui injuriam parvam magnam ſibi factam arbitratur, illius autorem ad ſingulare certamen provocat: Concurritur, horæ momento alter ambove mutuis vulneribus pereunt.* Ubi quæritur, *Num provocatus & ex juvenili calore comparens ſi alterum interficiat, pœna ordinaria ſit plectendus?* Reſp. *Si illum ſolum*, uti inquit Paulus in *l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. qui vim infert, ferire conceditur: & hoc, ſi tuendi duntaxat, non etiam ulciſcendi cauſa factum ſit*, neque vindictæ privatæ indulgendum eſt, quando ſuppetit remedium juris *l. 19. C. d. judæis* calor iſte provocatum non excuſabit, hoc tamen habito diſcrimine , quod provocatus (nam provocans alterũ occidens ordinaria pœna plectitur Obrecht. *tr. d. defenſion cap. 11. n. 56.*) Si verbis contumelioſis fuerit irritatus, ſaltem relegatione, carcere, aut etiam multa pecuniaria puniatur; ſin autem provocatio abſque verbis contumelioſis facta ſit, provocatus fuſtigationem haud effugiat. Ad ordinariam autem pœnam deveniendum non eſt; ſiquidem indulgendum eſt calori, quem ſibi temperare ipſi difficile fuit *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. d. adult.* De Duellis eorumque moralitate qui plura deſiderat, videat Bocer. & Rachelium *d. duellis* Thomaſium *d. duellor. var. generis moralitate* & de dicterio ſupra citato, uf ein Maulſchelle ꝛc. quod falſum impium & irrationabile ſit, vid. Carpzov. *p. 1. qu. 30. n. 35 & ſeqq.* D. Stryke *d. jure ſenſuum diſſert. 7. c. 5. n. 5.* Cæterùm Erronea, irrationabilis & impia eſt illorum opinio, qui exiſtimant, duellum detrectantem pro infami habendum & à conſortio quoque aut menſis & compotationibus aliorum arceſſendum eſſe, Lauterbach. *diſſert. d. ira, ejusque in jure effect. th. 60.* Q. *Si quis juvenem obſcœna loquentem vel blaſphemantem aut rixantem dehortaretur, ille verò adverſus hunc excandeſceret, eumque lethaliter vulneraret & interficeret, Num occiſor propter calorem juvenilem mitiori pœna ſit afficiendus? Negat.* Qvia excandeſcentia iſta fuit injuſta, neque ſine dolo, & propterea occiſor mortis pœnam non evitabit Carpzov. *prax.*

crim.

crim. p. 1. *qu.* 29. *n.* 29. Idem dicendum eſt, ſi ab alio per injuriam ſibi factam ad iram provocatus hujusmodi mediatorem ſciens volens trucidaverit Carpzov. *p.* 1. *qu.* 5. *n.* 35. Q. *Si quis jocosè diceret, vel leviter ſaltem alterum offenderet, dicendo:* Du wirſt nicht alle freſſen/ *hic calore iracundiæ incenſus illum occideret, num calor excuſet à pœna ordinaria? Negat.* Carpzov. *q.* 30. *n.* 10. 12 *&* 14. Lauterbach. *d. l. th.* 58. 59. Ut autem quis in caſu homicidii propter calorem iracundiæ à pœna ordinaria liberetur, requiritur, ut incontinenti, durante adhuc dolore, cædem illam commiſerit. Hinc Q. *Num ſi juvenis excandeſcens non quidem primo iræ impetu, ſed poſt offenſionem & injuriam ſibi factam ex intervallo, ſpacio unius vel aliquot horarum aut dierum elapſo adverſarium invaderet & trucidaret, caloris juvenilis allegatione ſe tueri poſſet? Negat.* Quia calor tractu temporis deferbuiſſe & ſecuta cædes non inconſultò, ſed animo deliberato & ſic dolosè commiſſa cenſetur, Lauterbach *d. l. th.* 63. & ita ſæpe reſponſum fuiſſe teſtatur Carpzov. *p.* 1. *qu.* 30. *n.* 39

Th. XIII. Juvenis ex calore *blaſphemans* à pœna blaſphemantium ordinaria (quæ eſt ſi blaſphemia immediatè in Deum fit, ultimum ſupplicium, vel abſciſſio membrorum; Si mediatè fit in Deum arbitraria eſt) non eſt immunis, niſi profundè ebrius aut calor iræ ſummus ſit ex juſta cauſa proveniens, quæ ſi in eo gradu deprehenſæ ſint apud blaſphemantem, ut mentis alienationem & exilium inducant, moderationem pœnæ ſvadet ratio, quæ omnia delicta ex dolo æſtimat *arg. l.* 39. *ff. d. furt. §.* 7. *Inſt. d. oblig. quæ ex delict. naſc.* Quid *ſi juvenis blaſphema verba proferat, alio tamen ſenſu ac pravâ loquendi conſvetudine & laſcivia, num eâdem pœnâ ſit afficiendus? Negat,* quia non ex dolo & proæreſi peccaſſe intelligitur, ſed quaſi ex communi errore & incuriâ; Extra ordinem tamen, numellis puta, fuſtigatione & relegatione puniendum tradunt DD. vid. Carpzov. *pract. crim. p.* 1. *qu.* 45. *n.* 78. Maſcard. *d probat. vol* 1. *concl.* 194. *n.* 8. *& ſeq.* Heîc ſpectat peſſima ludentium conſvetudo, qui jurgiis & rixis tabernas perſtrepunt, vulnera Chriſti & multa Sacramentorum millia evomunt, peſſimoque exemplo juventutem aliam à pietate avocant,

Ira ſubit, deforme malum, lucrique cupido,
Jurgiaque & rixæ, ſolicitusque dolor.

Cri-

Crimina dicuntur, reſonat clamoribus æther
Invocat iratos & ſibi quisque Deos.

Ovid. *d. art. amand. lib.* 3. vid. D. Præſes *d. præſid. domûs illuſtris cap. 7. poſit. 6.*

Th. XIV. *In deliciis carnis* calor juvenilis non excuſat *l. 38. §. Fratres ff. ad L. Jul. d. adulter.* & omnino flagitium eſt adoleſcentem ſcortari, contra quam ſentit Demea apud Terent. *in Adelph. act. 1. ſcen. 2.* Hinc eſt quod dicitur, adulterii crimen, quod in pubertate committitur, ætate non excuſari. Et quoniam fœminæ ob ſexus imbecillitatem ad perſvaſiones motu ſunt faciles, Q. *An in dubio fœmina à maſculo ad concubitus illicitos perſvaſa, an verò contra præſumatur?* Prius affirmatur, ſi mulier aliàs honeſtæ vitæ fuerit D. Stryke *d. jure blanditiar. cap. 6. n. 47.* Porro quæritur: *Si juvenis cum puella nuda in lecto, vel juxta lectum nudus repertus fuerit, num præſumatur commiſſum ſtuprum? Affirm. c. literis x. d. præſum.* Non autem ſi tempore nocturno ad virginem furtim accedere viſus vel etiam interdiu per prata, nemora, vias & invia ſæpiùs cum ea vagatus ſit *c. tertio loco 13. X. eod.* Maſcard. *d. probat. vol 3. concl. 1337. n. 1. & 2.* Neque ex eo probari poteſt aliquam eſſe meretricem, ſi frequenter juvenes eam accedant, ſi ſit virgo deformis & vetula; ſin autem juvenis & pulcra, aliud dicendum videtur, præſertim ſi de ea ſiniſtra fama ſpargatur Bartol. *in l. neque natales C d. probat.* & *in l. fin. ff. d. hered. inſtit.* nec meretrix dici poteſt, quæ ex calore juvenili flores virginitatis alteri decerpendos dedit, ſed quæ meretricio more vivit, omnibus ſeſe palam proſtituit, & corpore ſuo quæſtum quærit *l. 43. §. 1. & 6. ff. d. rit. nupt.* unde mulier quæſtuaria vocatur *d. l. 43. §. 7.* Quæ autem tam turpem vitam vivit, ſeu, uti Imperator *in Novell. 115. c. 3.* loquitur, luxurioſam degere vitam elegerit, cui tamen parentes maritum dare, & dotem ſecundùm vires ſubſtantiæ ſuæ pro eâ præſtare voluerint, illa autem non conſenſerit, non obſtante ætate juvenili poteſt exhæredari; Filia verò quæ ſtuprum ſaltem paſſa eſt, non autem luxurioſam vitam elegit, exhæredari à parentibus nequit Carpzov. *p. 2. crim. quæſt. 69. n 67.* Quod pœnam *adulterii* attinet, ex ſupra dictis patet, ab eâ juvenilem ætatem non excuſare; & ita pronunciarunt Scabini Lipſienſes 1584. So müſte N. N. wegen ſolches begangenen und bekandten

Ehebruchs/ derer in einer Frage angezogenen Urſachen / als ſeines jungen Alters und Unverſtandes/ indem er nur 17. Jahr alt iſt/ ungeachtet/ mit dem Schwerdt von Leben zum Tode geſtrafft werden; Quod ita tamen accipiendum eſt, niſi fœmina conjugata perſvaſionib9 laſcivis & geſtibus venereis allexiſſet juvenem, qui per ætatem ad libidinem attractus & calore quodam incitatus cum eâdem concubuerit, adulteriumque ex ſubito & improviſo libidinis impetu commiſerit, tunc pro arbitrio judicis, ſepoſitâ pœnæ aſperitate, mitiùs puniendus eſt, & ita ICti Lipſienſes teſte Carpz. *p. 2. qu. 61. n. 64.* pronunciarunt: Ob wol N. N. des mit A. T. G. Eheweibe begangenen Ehebruchs geſtändig/ dieweil Er aber dennoch fürwendet/ daß ſie ihme als einem jungen Blut / ſo zur ſelben Zeit 19. Jahr alt geweſen / eine geraume Zeit nachgangen / auch vergangenen Winter in der Stuben / da er gearbeitet / das Schurtzfell vom Leibe geriſſen/ und ungeachtet er ſich ihrer / ſo viel ihme müglichen geweſen/ entſchlagen/ ihn doch endlichen in trunckener Weiſe dahin gebracht/ daß er mit ihr das Werck der fleiſchlichen Unzucht verübet / welches denn die Gefangene auch alſo bekant ꝛc. So bleibet er auch nach Gelegenheit dißfals mit der ordentlichen Todesſtraffe billich verſchonet: Er wird aber gleichwol derowegen im Gefängnüs mit Ruthen ziemlichen gezüchtiget/ und des Landes ewig verwieſen/ V. R. W. Pœna mitigationem quoque meretur adultera juvencula, cujus maritus vel ob ſenectutem vel per faſcinationem ad conſveſcendum inutilis eſt; eo enim caſu maritus ſive uxor non tam malitioſè ac temerè, quàm quæ conjugali remedio uſtionis privata, adeoque levius delinquit, proindeque etiam leviori pœna plecti debet; ignoſcendum enim eſt ei, qui causâ aliquâ commotus & irritatus delinquit *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. d. adult.* Carpzov. *p. 2. quæſt. crimin. 61. n. 20.* Tandem agmen in hoc delicto claudat quæſtio: *Quâ pœna puniendus ſit ille, qui ex calore quodam juvenili invitam mulierem per vim deoſculatur?* Reſpond. Pœnam mortis, ut nimis ſeveram & rigidam rejicimus, judicis verò arbitrio eam relinquimus extraordinarieque puniendum illum cenſemus cum Jul. Clar. *lib. 5. ſentent. §. fin. qu. 83. n. 7.* Decian. *tract. crimin. lib. 8. c. 15. n. 8.* Kornman *in comment. d. linea amoris c. 4.* & ſi conſtet ipſum fuiſſe amoroſum, parcendum ei eſ-

ei eſſe arbitramur, cùm is, qui furòre libidinis & amoris aliquid, quod prohibitum eſt, facit, id feciſſe videatur quaſi furioſus & demens Eman. Svarez *in comm. opin. ver. pœn. n. 159.* Jam verò furor delinquentem excuſat, ita & amor ac libido, quæ furori æquiparatur *c. cum in juventute X. d. præſumt.* Neque vehementius quid eſt amoris ardore, quem intra debitos limites carcerare, eſt potiùs philoſophicum, quàm muliebre aut juvenile opus Bald. *in l. impuberes col. 5. n. 21. ante med. C. d. impub. & al. ſubſiſt.* Carpz. *p. 2. qu. 61. num. 60.*

Th. XV In crimine *Sortilegii* (quod hîc non ſolùm artem divinandi, ſed omnem etiam ſuperſtitionem comprehendit.) Calor juvenilis non excuſat; committitur enim ab illis, quorum miniſterio Diabolus utitur; ac pro diverſitate hujus criminis pœna eſt diverſa. Sic fœminæ quandoque amore juvenum captæ eos hircô ad ſe vehi curant, wann ſie die jungen Geſellen auf dem Bocke holen laſſen / eo caſu ſi damnum iis per vecturam ejusmodi infertur, ipſæ gladio puniri debent, ſin autem advecto non fuerit nocitum, arbitraria pœna, etiam ad fuſtigationem extendenda, locum habet Carpzov. *pract. crimin. p. 1. qu. 50. n. 61.* Coler. *p. 1. dec. 180.* Quandoque rerum novarum & futurarum cupidiſſimi ſunt juvenes, ut aſtrogolos & divinatores conſulere non vereantur Eſt autem jure civili tam in Sortilegũ divinantem, quàm qui conſuluit, & ſortilegia confici curavit, pœna capitis ſtatuenda *l 5. C. d. malef. & mathem.* ibi: *nemo aruſpicem conſulat, aut Mathematicum, nemo Ariolum; Augurum & Vatum prava confeſſio conticeſcat. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratur, quicunque juſſis noſtris obſequium denegaverit.* Cui concordat conſtitutio Electoralis Saxonica *part. 4. conſt. 2. §. fin.* ibi: Daß auch die / ſo ſich unterſtehen aus des Teuffels Kunſt wahr zuſagen/oder mit dem Teuffel durch Chryſtallen oder andere wege Geſpräch oder dergleichen Gemeinſchafft zu halten / und ſich von ihme geſchehener oder zukünfftiger Dinge Bericht und Erforſchung zu erholen / mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode ſollen gericht und geſtrafft werden. Q. *Si juvenis ex calore quodam ſortilegum quendam vel fœminam*, die kluge Fraue/ *conſulit in bonum finem, pro rebus deperditis & furto ſubtractis recuperandis, num pœnâ ſit afficiendus?* Reſpondetur: Quamvis con-

ſulens bonum finem habere videatur, ut manifeſtarentur homines ſcelerati,& res ſuæ reperirentur; quoniam tamē artibus delectatur malis, atque contra conſcientiam agit, dum Diabolo inſervit, cùm potiùs rebus omnibus carendum ſit, quàm mali ſpiritus opem implorare Frider. Balduin. *in caſib. conſcient. 3. c. 6. caſ. 5.* conſulens ſortilegos ad bonum finem arbitrariâ pœnâ afficiendus erit Berlich. *p. 4. concl. 5. n. 94.* Carpzov. *pract. crim. p. 1. q. 50. num. 62.* Quò referendi ſunt Necromanticos, Zyngaros, Tartaros uti vocant Ziegeuner conſulentes, qui graviter impiâ curioſitate peccant, & ex illâ interrogatione alios non minimè offendunt, ut ratione ſcandali gravius cenſeatur peccatum *cap. cum ex injuncto X. d. nov. oper. nunc.* Ac tales conſultationes viam manifeſtant ad veneficii crimē, præſertim ſi mentibus iſtis turbidis non omnia ex voto cedant, ut ſæpius ex impatientia vindictæ & cædis cupidi dœmonis auxilium advocent, exemplo Junonis apud Virgilium, quæ omnes inferos iratâ erga Æneam peſſimè invocat.

Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo.

THES. XVI. Circa *ambitum* ſeu mercaturam munerum & officiorum haud rarò peccant juvenes φιλότιμοι, quos gloriæ laudisque illecebræ titillant. Juvenes enim præprimis calore & cupiditate præſtandi cæteris flagrant; ut Ariſtoteles *lib. 4.* Ethic. *cap. 3.* dixerit: *Eminentiam deſiderare juventutem, maximum ſcilicet externorum bonorum.* Quale gloriæ laudisque ſtudium oſtenditur in Niſo & Euryalo juvenibus apud Maronem *lib. 9. Æneid.*

Obſtupuit magno laudum percuſſus amore
Euryalus, ſimul his ardentem adfatur amicum.
Mene igitur ſocium ſummis adjungere rebus,
Niſe, fugis? ſolum te in tanta pericula mittam?
Eſt hic, eſt animus lucis contemptor, & iſtum,
Qui vitâ benè cedat, emi, quò tendis, honorem.

Ut calore iſto juvenili facilè evadant munerū nundinatores, cùm nullis ſumtibus ac pecuniæ parcant, quò ad honores perveniant, nec per ætatem penſitent, quale quantumque crimen ſit ambitus. Cui quodammodo ſimile eſt, quando juvenes ex inconſulto calore & titulomania incenſi honores Doctorales vel minus adhuc digni, vel antequam intelligant, *cui bono*, appetunt, atque ſibi eos conferri

ferri faciunt. Qui mos & publicæ rei & ipſis; ambientibus nocivus eſſe ſolet.

Præcocia ancipiti titubant molimina talo,
Aſt maturatum perpetuatur opus.

Sanè ipſorummet conferentium partes ſunt,calorem honores ejusmodi ſupremos anhelantiũ refrenare, ſæpius diſſvadendo, præſertim ſi maturi aut digni nondum inveniantur Canditati. Ponamus, ipſos quoad eruditionem & propterea capaces eſſe dignitatum; quid autem dicendum eſt,ſi mores inſpiciantur? Etiamſi omnem eruditionis theſaurum quis poſſideret, morum verò integritas in ipſo deficeret, plus deformabitur gradus,quàm ornabitur. Cupido verò habendi honores non ſolùm invadit juvenes in Academiis, ſed & alii extra ſtudiorum univerſitates inveniuntur qui Dignitates appetunt. Extat hac de re elegans Trochaicus Jani Gruteri. Ita ille:

Præmia interim omnia transeunt ad ſimias,
Nudiclunes, aut nigricante corde corvos aut lupos,
Aut Leonis pelle aſellos involutos mortui.
Talibus ſagi pericla, talibus cedunt togæ,
Talibus ſellæ curules, talibus provinciæ
Oggeruntur. Et paulo poſt:
Nonne vapulamus undique
Ob Magiſtratus pudendos, ob poteſtates datas
Non Bianti, non Catoni ſed meris Vatiniis?
Sic profectò eſt; & manebit perpes iſtud nos malum,
Quamdiu Dei cathedris inſidet Sus, vel Lepus.
Quamdiu forum canina poſſidet facundia
Quamdiu morbis medetur archiater carnifex.

Th. XVII. Tandem deveniamus ad *Delicta Innominata & Extraordinaria,* quorum illa ſunt facta illicita ſpeciali juris nomine deſtituta,& duo exhibentur: *Dolus malus,* qui eſt omnis fallacia, machinatio ad circumveniendum fallendum,decipiendum alterum adhibita,atque *Stellionatus* (à ſtellione animali venenoſo,callido, lacertæ ſimili,lucentes habente in tergo guttas ſtellarum inſtar Plin. *lib. 30. cap.* 3. homini fraudulenter inviſo D. Struv. *Syntagm. jur. civil. exerc. 48. th. 109.*) eſt factum illicitum extraordinarium, lo-

cum obtinens, quoties ſpeciale criminis nomen deficit, v.gr. Si rem uni obligatam alteri vendiderit, vel rem duobus obligaverit, ſi ſua pignora eſſe in inſtrumento falsò tamen juraverit, *l.4.d ſtellionat.* Si creditor non numeratam pecuniam exegerit, aut numeratam bis acceperit, *l. 29. §. 5. mandat.* Si creditor acceptâ à debitore pecuniâ fidejuſſori ignoranti obrepat, & circumvento ſummam excutiat, in quam fidejuſſit *l. 29. §. 2. mandat.* Si æs pro auro ſubjecerit *l.36. d. pignor. action.* Si ſe opulentum geſſerit, ut eo majora nomina conficere valeat *l. 43. §.3.d. furt.* ſi aperuerit literas privati & legerit, nec oſtenderit alteri Ludov. Roman. *conſ. 365. n.3.* Si triſtia aut fatalia protulerit, ut res vilius veneat, *arg. l. 1. §. 2. d. eo per quem fact. eſt.* Si quis jus dicenti non obtemperaverit Matthæi *ad l. 189. d. R. J.* Si alterum temerè aſſeruerit pauperem, cum dives ſit, & quæ ſunt technæ aliæ, quas omnes nemo poterit ordine enarrare. Extraordinaria crimina vocantur, quòd eorum nomine quidem accuſatio criminalis inſtitui poſſit, non tamen veniant ex legibus publicorum judiciorum, h. e. nulla lege conſtitutum ſit, ut publica eo nomine accuſatio eſſet & omnibus pateret *l 3 pr. & §. 2. d. prævaric.* utpote eſt Concuſſio *tit. ff. d. concuſſ.* Abigeatus *tit. ff. d. abigeis.* Prævaricatio *tit. ff d. prævaricat.* Receptatio *tit. ff. d. receptator.* & alia, in quibus ætas juvenilis aut parum aut nihil excuſat, cùm dolus producat iſtiusmodi delicta. Pro varietate tamen circumſtantiarum, quoto ſcil. gradu dolus veniat æſtimandus, judex pœnam arbitretur. Quommodo Saccularii & Directarii die Beutelſchneider und Spitzbuben puniantur vid. D. Strykius *diſſertat. d. eodem argumento.*

MANTISSA

I.

Ineuntis Adoleſcentiæ vitia magnis ſæpe emendantur virtutibus.

Benè D. Præſes *in præſidiis Domûs illuſtris cap. 2.* ait: Deſperandum non eſt de homine, ſi adoleſcentiæ vitia conſpiciantur, cùm hæc magnis ſæpe virtutibus emendentur:

Similis eſt vir vino indole & moribus.
Nam muſtum illud, & novum cùm conditur,

Deſer-

Deferveat primùm opus eſt. Sic & Virum
Cùm juvenis eſt, exæſtuare. Sic Sobrium
Mox effici, & ſeveritate præditum,
Militem inde fieri, & eſſe in ævi reliqvum.

Exempla, quorum adoleſcentia *contemtibilis* & *laſciva*, virilis verò ætas *glorioſa* fuit, varia referuntur. THEMISTOCLES adoleſcens non tantummodò rem familiarem negligentius æquo adminiſtrabat, ventre, pene, gula dilapidando bona ſua, ſed & Authore Athenæo curru per urbem ſimul cum quatuor ſcortis vehebatur. Sed iſta vitia magnis emendata ſunt virtutibus. De eo præter Nepotem *in ejus vita*, memorat Plutarchus: *Primis juventutis ſuæ conatibus varius fuit ac inconſtans, ſoli naturæ obſequens: quæ doctrinâ & inſtitutione deſtituta, magnas in utramque partem, ſtudiorum mutationes effecit, ſæpiùs ad deteriora deflexit. Neque id diſſimulavit ipſe poſtea, è feroċiſſimis pullis, optimos fieri equos, dicens, ſi, quâ opus eſt, diſciplinâ formentur.* SCIPIO AFRICANUS, in quo ſe virtus, per omnes numeros oſtendere hominibus anniſa eſt, ſolutioris vitæ primos adoleſcentiæ annos egiſſe fertur. Q. CATULUS in luxu & deliciis primam ætatem tranſegit. L. SULLA usque ad quæſturæ ſuæ comitia, vitam libidine, vino, ludicræ artis amore inquinatam perduxit. Ejusdem tamen virtus perruptis nequitiæ, qua obſidebatur, clauſtris, catenas *Jugurthæ* manib' injecit: *Mithridatem* compeſcuit, ſocialis belli fluctus repreſſit: *Cinnæ* dominationem fregit ac proſtravit. Valer. Maxim. *lib. 6. cap. 9.* ubi plura vide exempla. Quibus ex Ruperti obſervat. *ad d. l.* adde TITI Imperatoris, illius, quem *amorem* & *delicias generis humani* dicunt, flagitiis perinfamem adoleſcentiam in tantum quidem, ut non temerè quisquam tam adverſo rumore magisque invitis omnibus tranſierit ad Imperium. Talem fuiſſe etiam ALYATTEN Sadyattis F. refert Nicol. Damaſc. *in exercit. Peireſc. p. 452.* Quibus tamen reponit Ruperti *d. l.* illud Latini Pacati Drepani *panegyr. 12. c. 7. Annon clariſſimos nominis Romani viros (Sullas, Catulos, Scipiones loquor) aliquantiſper ſibi luxuria vindicabit? quos etſi ad portum mutati in melius reflexerint flatus, diu tamen vitiorum turbo jactavit, & naufragos atque fluctuantes ab illis, quibus merſabantur erroribus, ægrè ætas recepit.*

II. *Ju-*

II.

Juvenes in numerum Conſiliariorum & Legatorum Principis non facilè ſunt cooptandi.

Conſtat ejusmodi ingeniis multum caloris & temeritatis ineſſe, utplurimum eſſe inquieta, ſemper aliquid movere, in multiplici inventione, & rationum copia natare & ægrè expedire illa, quibus inſiſtunt, proponere ea ſibi quæ non ſunt, non erunt, & mentem & conſilia adverſarii potiùs ſubtili ſua mente, quàm veritate & eventu proſpero metiri, ſua tantùm laudare, evehere, & contra aliorum opiniones & ſententias ſusque deque habere Liebenthal *in colleg. polit. exercit. 11. qu. 2.* Damnum hujus rei in gente Iſraeliticâ expertus eſt prudentiſſimi Patris degener filius *Rechaboamus*, qui, dum juniorum immaturis conſiliis paruit, regnum propemodum perdidit 1. *Reg.* 12. Elegans dictum eſt Gregorii Nazianzeni *in orat. de laudib. Baſilii*, quod in Clericos ſaltu repentino promotos torquet: *Nauticam legem ſibi probari, quæ gubernatores futuros prius diu remigare, ac deinde proretas eſſe jubet, quàm eis in puppi ſedere, & clavum tenere permittat.* add. Joh. à Chokier, *libro III. theſauri politici cap. 5.* De Legatis Marſelaer *d. legat. diſſertatione 13.* ita: *Dicebat Plato, mentis oculos magis vigere, & acutiùs videre, cùm illi corporis defloreſcunt. Unde & prudens conſilium per eminentiam, ſenile dicitur: Juvenile verò, etiam in ſtultitiæ ac temeritatis proverbium abiit. Præterea etiam indoctos ſenes, prudentes tamen eſſe cernimus. Nam quia in multis verſati, verſuti ſunt, & tertio velut oculo inſtructi. Accedit morum tranquillitas, gravitas, ejusque aſſecla autoritas, quæ venerandâ canicie adjuta, Legationis munus mirùm in modum juvant & illuſtrant. Cùm aliquando de Religionis imperio cum Orthodoxis Arriani pugnarent, Legatos mitti ad Imperatorem placuit. Miſſi ſunt, ſed ab Orthodoxis homines adoleſcentes, parum docti, parum cauti: ab Arrianis autem ſenes, callidi & ingenio valentes, qui narrantur vel ideo ſuperiores extitiſſe. Et quid mirum? non poſſunt, niſi magnâ maturitate negotia magna tractari, illa autem in ſenibus eſt. Juvenes rerum inſolitarum & novitatum facilè ſunt creduli atque appetentes: nondum prudentes, nondum enim ſat ſæpè decepti.* Exiſtimamus, Juvenes licet legationes ſubire nequeant legatis tamen eſſe adjungendos.

TANTUM!

BIBLIOTECA NAZ. ROMA